MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80299-5

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KLOTZ, REINHOLD

TITLE:

ADNOTATIONUM AD CICERONIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1869-70]

Master Negative #

91-80299-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870L1
DZ6
Klotz, Reinhold, 1807-1870.
Adnotationum ad Ciceronis epistolarum ad Atticum missarum libros particula prima [-altera] quam... edidit Reinholdus Klotz... Lipsiae, prostat apud A. Edelmannum, [1869-70]
2 pts. 27 cm.

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-24-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

PART 1

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

3 Pr. 1

ADNOTATIONUM AD CICERONIS EPISTOLARUM AD ATTICUM MISSARUM
LIBROS PARTICULA PRIMA

QUAM AD RENUNTIATIONEM

PHILOS. DOCTORUM ET AA. LL. MAGISTRORUM

RECTORIBUS MAGNIFICIS

GUILIELMO THEOPHILO HANKEL

REGI SAXONIAE E CONSILIO AULAE SANCTIORE PHILOSOPHIAE DOCTORE PHYSICES PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO DOCTORE MEDICINAE UNIUERSITATIS LITT. LIPSIENSIS HONORARIO ORD. REG. SAX. UIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM EQUITE CET.

ET

BENNONE BRUNONE BRÜCKNER

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTORE HUIUSQUE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO CONTIONATORE UNIUERSITATIS LITT. LIPSIENSIS PRIMARIO SEMINARII THEOLOGIAE PRACTICAE ITEMQUE COLLEGII CONTIONATORII AD AEDEM ST. PAULI DIRECTORE ECCLESIAE CATHEDRALIS MISENENSIS CANONICO CAPITULARI REGII SAXONICI CONSISTORII ECCLESIASTICI CONSILIARIO ATQUE ADSESSORE ORDINIS REGII SAXONICI UIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM COMMENDARIO ORDINIS MAGNIDUCALIS HASSICI PHILIPPI MAGNANIMI EQUITE PRIORIS CLASSIS CET.

DECANIS

REINHOLDO KLOTZ

PHILOSOPHIAE DOCTORE PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO SEMINARII REG. PHILOL. DIRECTORE ORDINIS REGII SAXONICI UIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM EQUITE CET.

ET

GUILIELMO THEOPHILO HANKEL

QUI SUPRA NOMINATUS EST

PROCANCELLARIO

OTTONE LINNAEO ERDMANN

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE CHEMIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO REGI SAXONIAE E CONSILIO AULAE SANCTIORE ORDINUM REGII SAXONICI ALBERTINI ET MAGNIDUCALIS BADENSIS A SIGNO LEONIS ZARINGENSIS EQUITE CET.

INDE A PRIMO DIE MENSIS MAII A. MDCCCLXUIII USQUE AD DIEM TRICESIMUM MENSIS APRILIS A. MDCCCLXIX.

CREATORUM INDICENDAM

EDIDIT

REINHOLDUS KLOTZ

PANEGYRISTA UNIUERSITATIS LITT. LIPSIENSIS.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIUERSITATIS.

1868/69.

Quum nuper epistolas a M. Tullio Cicerone ad T. Pomponium Atticum missas relegerem, ut alteram editionem Teubnerianam adornarem, facile intellexi esse etiam post egregiam operam a Fr. Hofmanno, I. C. G. Bootio, Io. Georg. Baitero in illis libris positam relicta nonnulla, quae aut aperte falsa aut certe dubia admodum esse uiderentur. Ex his ego locis iam quosdam electurus sum, de quibus paullo copiosius dicam.

Ac primus quidem locus, de quo dicam, legitur in Ciceronis *epistolarum ad Atticum* lib. I. ep. 17. § 9. Ibi de postulationibus equitum agitur, quae prolatae essent in senatu Kal. Decembribus et postridie anno p. u. c. DCXCIII. De ea re, quae nondum ad finem perducta erat, iam Cicero, ut nunc fere uerba eduntur, ita scribit ad Atticum: *neque adhuc res confecta est, sed uoluntas senatus perspecta. Unus enim contra dixerat Metellus consul designatus. Quin erat dicturus, ad quem propter diei breuitatem peruentum non est, heros ille noster Cato.* Recte tamen iam Bootius intellexit ascensum illum orationis, qui esset in uerbis: *quin erat dicturus* etc., hic locum non habere. Sed quod ille suspicatur scribendum esse aut *atque erat dicturus* aut transpositis uocibus *eratque dicturus*, ea ego conprobare propterea non possum, quia et recedunt nimium a librorum scriptura nec bene orationem conectunt. Illud enim, quod nunc uolgo legitur: *quin erat dicturus*, est profectum a Simeone Bosio, in cod. Mediceo et editionibus uetustioribus legitur: *qui erat dicturus.* Quod quum ita sit, in codice archetypo credo ego non **quı** fuisse scriptum, sed **quū**, itaque hunc locum iam ita constituendum esse existumo: *neque adhuc res confecta est,*

sed uoluntas senatus perspecta. Unus enim contra dixerat Metellus consul designatus, quum erat dicturus, ad quem propter diei breuitatem peruentum non est, heros ille noster Cato. Qua recepta scriptura et ratio temporis recte seruata est et oratio apte uincta nec scriptio antiquitus tradita maiorem in modum commutata.

In epistola, quae sequitur, 18. § 2. queritur Cicero de miserrumo rei publicae statu, qui fuerit initio anni p. u. c. DCXCIIII., et haec, quae uolgo ita eduntur, uerba ponit: *Nam ut ea breuiter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est res Romanas diutius stare non posse. Etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae, in qua ego nactus, ut mihi uidebar, locum resecandae libidinis et coërcendae iuuentutis, uehemens fui et omnes profudi uires animi atque ingenii mei, non odio adductus alicuius, sed spe corrigendae et sanandae ciuitatis. Adflicta res publica est empto constupratoque iudicio. Vide quae sint postea consecuta. Consul est inpositus is nobis, quem nemo praeter nos philosophos aspicere sine suspiritu posset. Quantum hoc uolnus! Facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani. Sic ille annus duo firmamenta rei publicae per me unum constituta euertit: nam et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit.* Ad quae uerba corrigenda quamquam codicis Medicei testimonium adhibere non possumus, ea tamen, quae in exemplis litterarum formis expressis uetustioribus habentur, eius modi sunt, ut inde quaedam satis tuto in his uerbis mutari posse uideantur. Ac primum quidem in uerbis: *in qua ego (causa) — uehemens fui et omnes profudi vires animi atque ingenii mei,* admodum debilis mea quidem sententia uox *uehemens fui* est, quum sequantur haec uerba: *et omnes profudi uires animi atque ingenii mei.* Quum igitur e codice, cuius scripturae in margine exempli Cratandrini adnotatae sunt, pro *fui* enotetur *flaui*, id quod Baiterus neglexit adnotare, hanc ego scripturam sine ulla dubitatione recipiendam esse existumo. Oratio Ciceronis Latina exprimit Graecum uerbum *φυσᾶν*, qua de re conferri possunt Sophoclei uersus, quibus Cicero utitur in his ipsis epistolis lib. II. ep. 16. § 2. *φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.* et locus Quintiliani lib. XII. c. 6. § 5., ubi

Latinum uerbum simili sententia ponitur in uerbis his: *at illic — et, si quid tibi ipse sumas, probandum est — et omisso magna semper flandi tumore in quibusdam causis loquendum est, quod illi diserti minume sciunt.* Deinceps in scriptura a Bosio primum propagata: *non odio adductus alicuius, sed spe corrigendae et sanandae ciuitatis*, siue *rei publicae corrigendae* auctore Bosio retinetur siue nomen *rei publicae*, id quod Bootio et Baitero uisum est, omittitur, offendunt nos coniuncta uerba *corrigendae et sanandae,* quae si ad eandem rem spectant, alterum utrum aperte superuacaneum est: si diuersa sententia dici putanda sunt, aliam orationis conformationem desiderant. Quam ob rem ego iam non dubito quin uerum illud sit, quod in editionibus uetustioribus, Romana, Iensoniana, Ascensiana, Heruagiana, Cratandrina, legitur: *non odio adductus alicuius, sed spe non corrigendae, sed sanandae ciuitatis*, qua recepta scriptura hoc dicitur non tam spe corrigendae ciuitatis, quod tum locum haberet, quum minus perdita esset res publica, quam sanandae, quo plane adflictam esse rem publicam proditur, ut sibi is, qui dicit, hac ipsa uoce iam transitum parauerit ad id, quod sequitur: *Adflicta res publica est empto constupratoque iudicio.* In uerbis, quae deinceps leguntur, e codicibus Sim. Bosii certe suspectis id profectum est, quod uolgo editur: *sine suspiritu*, in editionibus autem uetustioribus, quas modo nominaui, uno consensu scriptum est *sine suspirio*, qua formula orationis Cicero etiam alibi utitur, ueluti in *Disput. Tuscul.* lib. IIII. c. 34. § 72. *qui si quis est in rerum natura sine sollicitudine, sine desiderio, sine cura, sine suspirio, sit sane* etc. suspiritus autem uox neque apud Ciceronem alias et apud ceteros scriptores alia sententia legitur. Quae uero postea sequuntur uerba, ita interpungenda sunt: *Quantum hoc uolnus! Facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani.* Sic enim interpuncta oratione haec, quae ad hunc locum est aptissuma, sententia nascitur: Quamquam senatus consultum factum erat de ambitu, factum de iudiciis, nulla tamen lex, quae ex iis senatus consultis ferenda erat, perlata est, qua re factum est, ut senatus conuitiis adficeretur, uoluntas equitum Romanorum alienaretur, neque tamen quidquam perficeretur. Iam igitur his uerbis locus concluditur:

Sic ille annus duo firmamenta rei publicae per me unum constituta euertit: nam et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit. Hoc modo si interpretamur Ciceronis uerba, neque scribendum id erit, quod proposuit Bootius, conprobauerunt alii: *facta senatus consulta de ambitu, de iudiciis*, et tamen apparebit duo illa senatus consulta dici, quae epistola 16. § 12. et epistola 17. § 8. commemorata sunt.

Quasi praeteriens commemoro epistola 19. § 3. non recte mihi Baiterum fecisse uideri, quod ex cod. Poggiano nuper edidit: *quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum haec domi innascantur?* Etenim iure iam Bootius contra eam scripturam, quae eadem est in uetustioribus illis editionibus, quas supra memoraui, dixit adlato etiam loco ex Ciceronis epistolis lib. IX. ep. 3. § 2 extr. *sed quid ego haec nunc ad te, cuius domi nascuntur, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας?* Nam *innasci* in ea re dici, non simpliciter *nasci*, a consuetudine sermonis Latini alienum est, ut διττογραφίᾳ nata uideatur illa scriptura e scriptione continua **dominascantur**, nisi forte antiquitus traditum fuerit *domui nascantur*, quae scriptura casus locatiui a me multis locis alias e libris reposita nunc etiam ab aliis agnita et approbata est, uide quae ego exposui anno h. s. XXXU. in L. Chr. Zimmermanni *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* libro annali II. p. 739.

Lib. II. epist. 1. § 9., ubi Cicero de M. Fauonii petitione refert, nuper Baiterus eius uerba sic scripta edidit: *Fauonius meam tribum tulit honestius quam suam, Lucceii perdidit. accusauit Nasicam honeste, ac moleste tamen dixit, ita ut Rhodi uideretur molis potius quam Moloni operam dedisse; mihi, quod defendissem, leuiter suscensuit. nunc tamen petit iterum rei publicae causa.* quibus in uerbis multa falsa sunt, non solum propter scripturam ipsam, uerum etiam propter interpunctionem peruerse illatam. Etenim primum in cod. Mediceo et exemplis litterarum formis descriptis omnibus legitur: *accusauit Nasicam inhoneste ac modeste*, non id, quod Baiterus edidit *honeste* de S. H. Rinkes et *moleste* de Malaspinae coniectura, neque id, quod de coniectura illatum est, ullam probabilitatis speciem prae se fert. Qui enim potest is dici honeste alterum accusauisse, qui id in altero reprehendit quod ipse fecisse aperte dicitur? Uerbis enim, quae antea scripta sunt: *Fauonius meam tribum tulit honestius quam suam*, hoc aperte

declaratur ab ipso Fauonio corruptam fuisse tribum suam, ut inhoneste potius quam honeste Nasicam accusauisse uideatur. *honeste* igitur, quod Rinkes proposuit, sine dubio falsum est. Deinde quid sibi uolt *moleste dicere* hoc loco? aut omnino quid est *moleste dicere?* Nam quod Augustus scripsit apud Suetonium *Aug.* c. 86. *Sed opus est — dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris.*, alio quodam modo dicitur. Illud autem recte dici, *modeste accusare* aliquem, si modum teneas in accusatione, non est quod doceamus neque opus erat Periclis lenitatem in accusando commemorare h. l., de qua scripsit Plutarchus in *uita Periclis* c. 10. et in *uita Cimonis* c. 14., id, quod factum est a Bootio. Sed uerbis aliter interpunctis ita scribendum erat hoc enuntiatum: *Accusauit Nasicam inhoneste ac modeste tamen: dixit ita, ut Rhodi uideretur molis potius quam Moloni operam dedisse* etc., qua ratione haec nascitur sententia: Accusationem quidem inhoneste suscepit Fauonius, qui id in altero accusauit, quod ipse commiserat, in accusando tamen modum tenuit et temperatius egit. Absoluta hac re, quae ad causam ipsam spectat, iam transit Cicero ad genus orationis, quo usus sit Fauonius, atque ita uerbo *accusauit* opponit uerbum *dixit*, ut contentione uocis indicandum sit haec uerba inter se esse contraria. Quam ob rem Baiterus recte quidem fecit, quod e cod. Cratandrino recepit *dixit ita ut*, quod in cod. Mediceo leuiter corruptum legitur a prima manu *dixit aut*, quod fuit antiquitus *dixit aut*, id est, hoc ipsum *dixit ita ut*, quum altera manus deprauauerit scripturam in *dixit ut*, uerum tamen non recte distinxit ille *dixit, ita ut* etc., quod debebat esse *dixit ita, ut* etc. hac sententia: ea autem oratione usus est, ut etc. His a me disputatis facile apparebit hunc totum locum ita fuisse scribendum: *Fauonius meam tribum tulit honestius quam suam, Lucceii perdidit. Accusauit Nasicam inhoneste ac modeste tamen: dixit ita, ut Rhodi uideretur molis potius quam Moloni operam dedisse. Mihi, quod defendissem, leuiter suscensuit: nunc tamen petit iterum rei publicae causa.*

Huius libri epist. 18. § 1. leguntur haec uerba et in cod. Mediceo et in antiquis exemplis formis descriptis: *tenemur undique neque iam quominus seruiamus recusamus, sed mortem et eiectionem quasi maiora timemus, quae multo sunt minora, atque hic status qui una uoce omnium gemitur neque uerbo cuius-*

quam subleuatur., quibus in uerbis ultumum enuntiatum nec uerbis nec sententia satis constat. Quam ob rem criticorum partim *atque hic status est,* alii *atque hic est status* scribi uoluerunt. Hoc modo mihi uidetur non satis recte huius loci scriptura adiuuari. Nam qui status rerum esset iam satis est expositum, requiritur ut dicatur quid in hoc rerum statu fiat; itaque ego uerbum substantiuum minume desidero, sed hoc enuntiatum: *atque hic status — non subleuatur,* uerum esse existumo, ita tamen, ut aliquid ante uerba: *neque uerbo cuiusquam*, excidisse putem, quasi sic antiquitus fuerit: *atque hic status, qui una uoce omnium gemitur*, [*neque opera*] *neque uerbo cuiusquam subleuatur.* Quamquam ipsa uerba, quae excidisse hoc loco uideantur, praestare non possumus, tamen etiam me tacente intellegitur propter repetitionem uerbi *neque* facile eius modi membrum orationis obscurari potuisse, id quod saepe alias factum est. In eadem epistola quod infra § 3. in uerbis his: *A Caesare ualde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi ut sim legatus, atque etiam libera legatio uoti causa datur.* Bootius atque Baiterus Schützio auctore ac Bentiuolio nuper suppositicia sibi haec *in legationem illam* uideri significauerunt, nullo modo possum probare. Nam Cicero propterea rem pluribus uerbis hoc loco designat, ut Gallica illa legatio, in quam ualde liberaliter a Caesare erat inuitatus, ut scimus, Cicero, et libera legatio uoti causa suscepta apertius inter se opponerentur, quod minus exstaret, si illa uerba omitterentur, quae tamen ipsa uerba illam, quae sequitur, explicātionem: *sibi ut sim legatus,* requirunt. Conferas uelim etiam quae amicus meus atque aequalis G. Meutznerus in *Nou. annal. philol. et paedag.* uol. LXXXXU. p. 699. disputauit. Eiusdem libri epist. 20. § 5. est in cod. Mediceo scriptum: *quod scripseram et Furio scripturum, nihil necesse est tuum nomen mutare.* Editiones uetustiores, ut Romana et Iensoniana, habent *te Furium,* editiones Ascensiana, Heruagiana, Cratandrina *te Furio.* Suspicor ego in codice archetypo fuisse SRIPSERAMETEFURIŪ, unde facile et *scripseram et Furio* et *scripseram te Furio* oriri potuit. Recte autem legitur: *scripseram me te Furium scripturum.* Nam *scribere* in eius modi locis duplici accusatiuo iungi satis constat, conf. T. Liuii lib. IIII. c. 20. § 11. *quum auctor pugnae recentibus spoliis in sacra sede positis — se A. Cornelium Cossum consulem scripserit.* In uerbis iis, quae proxume sequuntur, *me faciam Laelium et te Atticum*, nuper Bootius auctore Lambino *et* coniunctionem omitti uoluit. qui si hoc propterea probabile esse arbitrati sunt. quod supra epist. 19. § 5. diceretur: *in iis epistolis me Laelium, te Furium faciam,* uehementer errant. Etenim illic uerborum collocatio ἀσύνδετον commendauit, hic coniunctionem. Denique in hac epistola § 6. Bootius haesitauit in uerbis his: *Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XU. Kal. Nouembr. distulit.* ac praepositionem *cum* abiiciendam censuit persuasitque de ea re Baitero, sine idonea causa. Scimus enim Latinos in eius modi locis pro ablatiuo instrumenti tum ablatiuum cum praepositione posuisse, ubi illa res, quae inferretur cum praepositione, etiam abesse posset. quod cadit in hunc ipsum locum. Nam sine edicto Bibulus comitia differre non potuit, uerum tamen differre potuit sine Archilochio edicto. itaque *cum Archilochio edicto* hoc loco fere ita dicitur, ut sit non sine Archilochio, aut dicam explicatius docendi causa, in uerbis *cum Archilochio edicto* hoc inest: ita tamen, ut Archilochio edicto non abstineret et Pompeium contumeliosis conuitiis adficeret. Conf. ea, quae F. Handius disputauit in *Tursellini* uol. II. p. 159 sqq. Denique huius libri epist. 24. § 4. edideram auctore Wesenbergio in priore editione: *ea nos, utpote qui nihil contemnere soleamus, non contemnebamus, sed non pertimescebamus.* Sed quum in cod. Mediceo et in uetustis exemplis litterarum formis descriptis habeatur non hoc *soleamus,* sed *solemus* uno consensu scriptum, iam non dubito quin Cicero potius *soleremus* scripserit, quod si scriptum fuit **solēmus**, et facile immutari potuit et, si rem recte existumaueris, etiam a consecutione temporum, quam Cicero etiam in eius modi locis semper obtinere solet, desiderari uidebitur.

Sed agendum iam id est, quod mihi occasionem scribendi fecit.

Semisaeculares honores suos hoc anno Ordo Philosophorum gratulatus est

Uiris clarissumis atque optume meritis

CAROLO EDUARDO OTTONI

inperii Russici consiliario publico et professori iuris uniuersitatis litt. Dorpatensis eximia cum laude emerito,

FRIDERICO AUGUSTO GEHE
uerbi diuini apud Bockauienses Zwickauianos ministro summa cum laude emerito nunc Dresdae senectutis honoratae otio fruenti,

CHRISTIANO FRIDERICO RICHTER
uerbi diuini apud Elstranos Lusatiae Saxonicae ministro bene merenti,

GUSTAUO SEYFFARTH
theologiae doctori, professori quondam in universitate litt. Lipsiensi theologiae extraordinario, nunc Eboraci noui in litterario otio senescenti.

Enarrandae iam sunt uitae eorum, qui rogatu suo hoc anno explorata ac probata dignitate summos Ordinis nostri honores inpetrauerunt.

Sunt autem hi:

HENRICUS RICHARDUS NATHANAEL MARTENS natus Gedani die XXX. mens. Aug. a. h. s. XLIII. eruditus in gymnasio Gedanensi Hirschio, historiae praeceptore eius gymnasii, auctore historiae studium amplexus a. h. s. LXIII. Gottingam se contulit et ibi audiuit professores Lotze, Ribbentropp, Zachariae ac maxume E. Curtium et Waitz. Inde a. h. s. LXV. Berolinum profectus quum communibus bonarum artium disciplinis praeceptoribus Trendelenburg, Boeckh, Haupt, Müllenhoff tum historiae studiis auctoribus potissumum Droysen et Ranke operam suam dedicauit. Quum omnibus praeceptoribus suis grato animo se addictum esse profitetur tum maxume praedicat uirorum clarissumorum Hirsch, Waitz, Droysen erga se bene merita. Eius libellus inscriptus est: '*Die Annales Reinhardsbrunnenses als Quelle für die Geschichte Kaiser Heinrich's VI.*'

IOANNES GOTTHOLDUS RENNER, qui de uita sua haec fere ad nos scripsit: 'Natus sum Dresdae, ubi pater senex uenerabilis custodis pinacothecae regiae munere fungitur, XV. kal. Mai. a. h. s. XLIII. litterarum primordiis inbutus a. h. s. LVII. in gymnasium receptus sum, quod Dresdae est ad aedem St. Crucis. Examine maturitatis, quod dicitur, absoluto a. h. s. LXIIII. Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis operam nauarem. Hic docentes audivi uiros illustrissumos Brockhausium, Curtium, Drobischium, Ecksteinium, Fritzschium, Klotzium, Ouerbeckium, Ritschelium, Roscherum, Schoenium, Voigtium, Westermannum, Zarnckium. Per biennium sodalis fui seminarii philologorum regii, quod floret Curtio, Klotzio, Ritschelio praesidibus, et seminarii paedagogorum regii, cui Ecksteinius praefectus est. Quorum uirorum omnium sempiterna apud me erit memoria.' Eius dissertatio inscripta est: '*Quaestiones de dialecto antiquioris Graecorum poesis elegiacae et iambicae.*'

GEORGIUS ERNESTUS LEOPOLDUS LANGBEIN natus Grimae a. h. s. XLVII. amissa praematuro obitu matre patrem adhuc uiuum habet. Primum eruditus in schola ciuica tum in progymnasio patriae ciuitatis, inde ab a. h. s. LXII. in schola reali Lipsiensi doctrina excultus est et mense Martio a. h. s. LXV. maturitatis examine absoluto mox in universitatem litt. Lipsiensem transiit atque audiuit docentes Erdmann, Hankel, Kolbe, Naumann, Drobisch, Zöllner, Franke. Dissertatio eius inscripta est: '*Chemische Untersuchungen. I. Die Wässer Leipzigs. II. Ueber das Verhalten des übermangansauren Kalis zu einigen organischen Körpern.*'

RICHARDUS GUSTAVUS HEGER natus Dresdae d. XXVI. mens. Ian. a. h. s. XLVI. patre Ernesto Traugott Mauricio Heger rectore scholae primi uici urbis patriae, primum eruditus in schola ciuica prima, deinde in schola reali Annana excultus maxume praedicat praeceptores Martinum Iob et Helmert. A. h. s. LXII. in regiam scholam polytechnicam transiit eiusque disciplina usus est usque ad annum h. s. LXVI., quo anno maturitatis examine in schola ad aedem St. Crucis absoluto Lipsiam se contulit, ut mathematicae et rerum naturalium studio operam suam dicaret. Libellus eius, quem Ordini nostro probauit, inscriptus est: '*Beiträge zur analytischen Geometrie.*'

FRIDERICUS ROBERTUS HELMERT natus Fribergae, qua in ciuitate pater arcarius dedicationum pietatis causa factarum erat, d. XXXI. mens. Iulii a. h. s. XLIII. primum in schola ciuica eius ciuitatis eruditus, postea in schola reali Annana, quae Dresdae est, excultus, uere a. h. s. LIX. in scholam polytechnicam Dresdensem transiit, sed disciplina agri mensorum ibi absoluta, quod pater interea mortuus erat, ad uniuersitatem litterarum aspirare eo tempore non poterat. Itaque ad Nagelium professorem se applicauit eumque in agris metiendis, maxume in graduum discriptione, adiuuit et triennio his rebus exacto a. h. s. LXVII. Lipsiam se contulit, et scholas philosophorum et mathematicorum frequentauit atque auctoritate Bruhnsii etiam specula astronomica, ut artes suas exerceret, usus est. Dissertatio eius inscripta est: '*Studien über rationelle Vermessungen im Gebiete der höheren Geodaesie.*'

CONRADUS WUNDER natus a. h. s. XXXVII. Altenburgi ibique in gymnasio Fridericiano eruditus a. h. s. LX. transiit Lipsiam, ubi annum, et Wurceburgum, ubi sex menses medicinae studium coluit. Sed hoc ipsum studium quum minus ei placeret, itinere per Francogalliam facto linguarum studium amplexus est, itaque uere a. h. s. LXII. Ienam se contulit, ut philologiae classicae operam daret, inde a. LXIIII. Lipsiam transiit, ut Eberto nostro auctore studio recentium linguarum se dicaret. Mense Augusto huius anni candidatus muneris scholastici superioris examine superato factus est et anno in schola reali Lipsiensi exercitationis causa consumpto praeceptor scholae mercatoriae Lipsiensis creatus est. Libellum suum inscripsit: '*Ueber Jacques Milet's Destruction de Troye la grande.*'

MAXIMILIANUS MORGENROTH qui de uita sua haec scripsit: 'Natus sum a. d. III. kal. Iulias a. h. s. XLVI. Salfeldae ad Salam patre Marco praeceptore, matre Christiana ex gente Eisbrueckneria. Per IX annos in patriae ciuitatis scholis et a uiris optume de me meritis Gustauo Koeplero et Ottone Kellero progymnasii Salfeldensis magistris institutus uere a. LX. in gymnasium Hilburghusanum a patre sum deductus. Ibi tres annos uersatus in Academiam Lipsiensem me contuli, ubi per triennium uirorum doctissumorum Weissii, Drobischii, Westermanni, Klotzii, Curtii, Ritschelii, Ouerbeckii, Brockhausii, Zarnckii, Zilleri, Pueckerti fui auditor tertioque anno seminariorum philologici et paedagogici socius. Deinde per semestre spatium in Academia Berolinensi continuaui studia, ubi audiui uiros doctissumos Trendelenburgium, Hauptium, Kirchhoffium. Unde in patriam reuersus examen pro facultate docendi apud collegium Berolinense absolui. Uere a. LXVII. in prouincia Borussia suscepi domestici praeceptoris officium, quo etiam nunc [a. LXVIII.] fungor. Post

paschales ferias in gymnasio Insterburgensi collaboratoris munus nuper mihi delatum inibo.' Scripsit: '*De condicionalium sententiarum apud Tacitum formatione.*'

MAXIMILIANUS LUDOUICUS WEBER natus d. VIII. mens. Sept. a. h. s. XLV. Waldenburgi in Saxonia primum eruditus in gymnasio Fribergensi, tum in schola Thomana Lipsiensi, inde a uere a. LXIII. Lipsiae mathematicae et physicae operam dedit et mense Iunio a. LXVIII. candidatus muneris scholastici superioris factus in schola reali Lipsiensi docendo uires per annum periclitatus est. Inde a tempore paschali a. h. s. LXVIIII. munus praeceptoris ordinis superioris apud Zwiccauienses suscepit. Scripsit: '*Ueber das Potential von Kreis und Spirale sowie seine Verwendung in der Theorie inducirter elektrischer Ströme*.'

FRIDERICUS GUILIELMUS GUNDERMANN natus Halberstadii d. XI. mens. Iun. a. h. s. XXXVIII. gymnasium Halberstadiense frequentauit inde ab anno h. s. XLVIII. usque ad annum LVI., quo tempore propter ualetudinem ex ea disciplina discessit. Confirmata ualetudine medicamentariam artem in officina Lucani doctoris didicit et postquam Bonnae a. h. s. LX. studio rerum naturalium se parauit, chemiae studium in nostra uniuersitate litt. moderatore Erdmanno suscepit et audiuit professores Hankel, Naumann, Reichenbach, Drobisch, Fechner, alios. A. LXII. Berolinum se contulit et audiuit docentes H. Rose, Mitscherlich, Max. Braun, Karsten et in officina chemica Sonnenscheinii adiutoris munere aliquamdiu functus est. A. LXIII. munus chemici in coctura sacchari apud socios Schulze et Bahlers Colbae ad Salam administrauit et inde a mense Iulio a. LXV. officinae saccharo coquendo quae fuit Moccauiae prope Lipsiam praefuit. Eius dissertatio inscripta est: '*Die Cultur von Zuckerrüben (beta cicla) in künstlich gemischten Bodenarten.*'

FRIDERICUS IMMANUEL GRUNDT natus Dresdae d. XVI. mens. Sept. XLIIII. patre Friderico, qui tum lanii quaestum exercuit, matre Anna Dorothea e gente Hennigia, quos parentes etiamnunc uiuos habet optatque ut ad beatam senectutem iis peruenire liceat. Primis litterarum elementis a paterno amico nomine Zacharia institutus puer XII annorum in gymnasium, quod Dresdae est ad aedem St. Crucis, receptus est, quo in gymnasio maxume Boettcheri doctrina se adiutum esse dicit. A. LXIIII. Lipsiam se contulit, ut theologiae et philosophiae operam daret maxumeque studium linguarum scripturae sacrae coleret, quo in genere maxume praedicat b. Tuchii disciplinam. A. LXVII. theologiae candidatus factus Dresdae primum praeceptoris domestici disciplinam exercuit, nunc munere praeceptoris in senatoria puellarum schola fungitur. Libellus eius inscriptus est: '*Die Trauergebräuche der Hebräer.*'

BRUNO BERNHARDI natus in uico Ebersbach prope Loebauiam sito d. XXV. mens. Dec. a. h. s. XLIIII. migrauit cum suis a. XLIX. Lipsiam ibique ab anno LI. usque ad annum LIIII. in gymnasio quod dicitur moderno litterarum elementis excultus est. Inde a uere a. LIIII. in schola Dresdensi reali Annana eruditus est, unde a. LX. discessit, ut in schola polytechnica chemiae operam daret. Autumno a. LXIII. Reichenbergiam, quae ciuitas in Bohemia est, se contulit, ut in officina Francisci Liebig chemici et coloratoris technici munere fungeretur, ubi mansit usque ad mensem Iunium anni LXV. Reliquum anni tempus itineribus consumpsit et a. LXVI. moderatore Erdmanno Lipsiae chemiae operam dedit et docentes audiuit praeter hunc Kolbe, Hankel, Naumann, Drobisch, alios. Inscripsit libellum: '*Beiträge zur Kenntniss des Santonin.*'

HERMANNUS KRUEGER de uita sua haec fere rettulit: 'Patre Friderico Iohanne praeceptore natus et fidei Lutheranae ascriptus ego Krueger Megalopolitanus, primum domi puerili doctrina sum institutus, deinde ut disciplina, quam uocant, paedagogica erudirer, seminarium Suerinense petii. Postea quum Suerini aliquamdiu ita uersatus essem, ut litteris ingenuis, quas a puero adamaui, priuatim magis magisque studerem, exeunte anno h. s. LXII. Berolinum migraui, ubi non solum iis disciplinis me tradidi, quae ad testimonium maturitatis adipiscendum ualent — quod testimonium, exigua intermissione studiorum facta, Erfordiae Thuringorum inpetraui —, sed etiam inter ciues universitatis receptus interfui scholis Rankii, Droysenii, Hauptii etc. Inde ab exeunte a. LXVII. commoratus sum Lipsiae, ubi unius Voigtii lectiones audiui.' Scripsit: '*De Dionysii maioris uita et rei publicae ratione.*'

ALBERTUS GUILELMUS THIERFELDER de uita sua haec scripsit: 'Natus sum Mulhusis, in urbe Thuringica, a. h. s. XLVI. pridie kal. Maias. Pater, qui concentus musicos regebat, me puerum artis musicae elementa docuit. Quo mortuo gymnasii Mulhusani discipulis ascriptus disciplina institutus sum cum aliorum uirorum doctorum tum Haunii et Ameisii auunculi mei. Anno h. s. LXV. dignus inuentus, qui in Academiam transirem, Lipsiam me contuli ibique musicis ita me dedidi, ut philosophiae studia minume neglegerem. Sex semestria interfui scholis uirorum doctissumorum Curtii, Klotzii, Drobischii, Seydelii, Pauli et rationem usumque artis musicae edoctus sum a uiris clarissumis Hauptmanno, Richtero, Langero. Quibus uiris omnibus optume de me meritis gratias ago quam maxumas.' Scripsit: '*de Christianorum psalmis et hymnis usque ad Ambrosii tempora.*'

KONRADUS KOCH. Ex eius uita dissertationi adiuncta haec referenda sunt, natum eum esse Brunsuici a. h. s. XLVI. Id. Febr., Konrado et Luisa parentibus, quumque per octo annos obisset patriae urbis gymnasium, maturitatis testimonio instructum ter sex menses Gottingae, sex menses Berolini, ter sex menses Lipsiae philologiae studiis se dedidisse. Ex uiris, qui eum docuerunt, maxume praedicat Sauppium Gottingensem, Curtium, Eckstcinium, Ritschelium Lipsienses. Scripsit: '*De augmento apud Homerum omisso.*'

ENGELBERTUS RICHTERS natus die II. mens. Iul. a. h. s. XL. Coesfeldi in Westphalia et in gymnasio patriae ciuitatis eruditus sexdecim annos natus arti medicamentariae se tradidit et septem annis post mense Octobri LXIII. in uniuersitate litt. Vratislauiensi ad studia artis medicamentariae altiora aspirauit. Sub exitum anni LXIIII. examen publicum medicamentariorum absoluit. Inde ab eo tempore chemiae operam dedit, primum quum esset adiutor in publico laboratorio chemiae, tum quum hanc artem exerceret in officina, quae dicitur: *Ida-Marienhütte*, quae sita est prope Saarauiam in Silesia. Scripsit: '*Untersuchungen über die Ursachen der Feuerbeständigkeit der Thone.*'

ARNOLDUS BODEK natus in ciuitate Galitiae Brody nominata die I. mens. Nou. a. h. s. XLIIII. patre Arminio, matre Ioanna e gente Rapoportia, puer Lipsiam uenit et in gymnasio ab Hauschildo condito rectore Zillio eruditus et testimonium maturitatis a gymnasio Zwiccauiensi nactus primum per sex menses Lipsiae philosophiae, tum per duo semestria Vratislauiae theologiae studio se dedidit socius seminarii rabbinici praeceptoribus Fränkel, Grätz, Bernayss, Ioële audiuitque docentes Braniss, Roepell, Magnus. Propter ualetudinem theologiae studio renuntiauerat et postea optantibus parentibus iuris prudentiae studium susceperat Heidelbergae, Bonnae, Lipsiae per quattuor semestria. Tum ab auo Salomone Rapoport Pragam uocatus hieme a. h. s. LXVI., ut eum senescentem adiuuaret et theologiae studia rursus susciperet.

Ea studia suscepit et simul philosophiae, philologiae, historiae uacauit docentibus Volkmanno, Wessely, Kaempfio, Petro. Eius libellus inscriptus est: '*Marcus Aurelius Antoninus als Freund und Zeitgenosse des Rabbi Jehuda ha-Nasi.*'

HENRICUS CONRADUS OEHMICHEN natus die VIII. mens. Apr. a. h. s. XXXVI. in uico Trebanitz in Saxonia regia in praedio rustico patris satis amplo primum bene educatus et cultus in uico patrio tum a. h. s. L. in scholam polytechnicam Dresdensem missus, ut agri mensorum artem disceret, sed duobus annis et sex mensibus exactis patris uoluntate in auitum dominium reuocatus instituit agri culturam exercere. Itaque in uico *Lichtenwalde* prope Chemnicium sito agricolationem et didicit ut discipulus et exercuit ut uilici socius. Deinde tres annos eadem condicione in Silesia in dominio Peruschen uersatus est. Anno h. s. LX. accepit praedium patris et in uico patrio mansurus esse uidebatur, quum intra paucos dies soror unica morte et uilla rustica incendio absumpta est. Inde uitae consilio mutato et praedio paterno uendito parentes Dresdam migrauerunt, ipse anno h. s. LXI. primum ut hospes in schola polytechnica Dresdensi, tum in Academia agricolari, quae est in uico Poppelsdorf prope Bonnam conexa cum uniuersitate litt. Bonnensi, ut discipulus usque ad annum h. s. LXIII. uersatus est et examine agricolari absoluto Lipsiae chemiae et oeconomiae publicae operam dedit. Anno h. s. LXIII. munere praeceptoris in schola agricolari quae est in uico Riesenrodt in Westphalia tres annos functus est. Quod ipsum munus abdicauit, ut altiora disciplinae studia Halis susciperet, qua in uniuersitate usque ad annum h. s. LVIII. uersatus est. Libellus eius inscribitur: '*Zur Statistik und Kritik des niederen landwirthschaftlichen Unterrichts in Deutschland.*'

PAULUS ADALBERTUS RUDOLPHUS TIMOTHEUS RUEFFER natus die XXIIII. mens. April. a. h. s. XLVI. in uico Proschlitz prope Cruciburgum in Silesia superiore sito, patre Ioanne Alberto Rueffer, uerbi diuini ministro, matre Ludouica e gente Kellneria, cum parentibus anno LV. in uicum Cauernum migrauit, quo in uico in dioecesi Bregensi ad dextram Uiadri ripam sito pater munus ecclesiasticum susceperat. Ibi puerili doctrina a patre et auunculo, praefecto cohortis, qui cum commodis emeritae militiae dimissus cum eius parentibus habitat, ab iisdemque prouectior aetate grammaticis institutus est, quum artem musicam Car. Scholz ludimagister Cattouicensis eum doceret. XIII. annum agens in illustre gymnasium regium Bregense a rectore Iul. Guttmanno receptus est, unde V annis post discessit in uniuersiuersitatem litt. Lipsiensem, ut in theologia et philosophia studium collocaret. Magistros hic repperit, qui non solum doctrinis ipsum inbuerent, uerum etiam liberalitate et humanitate cumularent, Ahrens, b. Anger, Brueckner, Curtium, Delitzsch, Drobisch, Erdmann, Fricke, Hofmann, Kahnis, Luthardt, Marbach, Schmidt, Tischendorf, b. Tuch, Voigt, Wuttke, quorum nomina ait se gratissumo semper animo prosecuturum esse. Scripsit: '*De philosophiae Xenophanis Colophonii parte morali.*'

VILELMUS HENRICUS ROSCHER collegae nostri, quem honoris atque amoris causa nomino, filius natu maxumus de uita sua haec rettulit: 'Natus sum Vilelmus Henricus Roscher a. h. s. XLV. die XII. mens. Febr. patre Vilelmo matre Constantia e gente Neundorffiorum Gottingae, unde quartum annum agens cum parentibus Lipsiam migraui. Scholis usus sum his: schola ciuili Lips. per annos tres, gymnasio Nicolaitano Lips. per annos septem, gymnasio Afrano Misniensi, quod Fr. Frankio rectore floret, per duos annos. Inde dignus inuentus, qui in academiam transirem, anno h. s. LXV. in urbem patriam redux audiui uiros illustrissumos E. Curtium, Franckium,

Lotzium, Ritterum, Sauppium, Waitzium, Wieselerum. Deinde iterum Lipsiam profectus in hac academia nobilissuma per quinque semestria scholas frequentaui G. Curtii, Ecksteinii, Klotzii, Ouerbeckii, Ritschelii, patris mei, Voigtii, Zarnckii. Quibus uiris illustrissumis optume de me meritis gratias me agere quam maxumas semperque acturum profiteor.' Scripsit: '*De aspiratione uulgari apud Graecos.*'

CAROLUS FRIDERICUS ERNESTUS KNAUT natus die XVIII. mens. Sept. a. h. s. XLIIII. Ostervici, in oppido prope Hercynium saltum sito, patre Carolo, matre Augusta e gente Schulze, quam immatura morte ereptam luget, annum agens duodecimum in disciplinam gymnasii Halberstadiensis datus et magistro maxume Passouio gauisus est. Anno LXIIII. Gottingam migrauit, ubi per tria semestria eius doctores fuerunt Benfey, Curtius, de Leutsch, Lotze, Peip, Wieseler, Waitz interfuitque proseminarii et seminarii regii exercitationibus, quibus Sauppe, de Leutsch, Curtius praefuerunt. Tum Berolini per biennium audiuit docentes Boeckh, Bona-Meyer, Droysen, Geppert, Haupt, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Müllenhoff, Trendelenburg, Weber. Anno LXVIII. examine superato facultatem docendi inpetrauit. Scripsit: '*De Luciani libello, qui inscribitur Lucius siue Asinus, auctore.*'

CAROLUS CAPPELLER natus a. h. s. XL. in uico Borussiae orientalis, cui nomen est Alex-Kehmen, patre Guilelmo agri possessore, matre Amalia e gente Knochenhauer, quos uiuos habet. Litterarum elementis domi et in schola priuata uicini oppidi Stallupoenen inbutus ab anno h. s. LII. usque ad annum LIX. gymnasium frequentauit Gumbinnense et nomina H. O. Hamanni et I. Arnoldti, quorum disciplina maxume adiutus est, praedicat. Propter ualetudinis inbecillitatem sex menses domi consumpsit et uerno tempore a. LX. uniuersitatem litt. Berolinensem adiit ac primum potissumum litteris Graecis et Latinis operam dedit, deinde etiam linguam Sanskritam et grammaticam conparatiuam et philosophicam addiscere studuit audiuitque per quattuor annos docentes Boeckh, Haupt, A. Benary, Droysen, Trendelenburg, Werder, I. B. Meyer, Bopp, Weber, Steinthal, quorum maxume Weberi beneuolentiam laudat. Anno LXIIII. domum reuertit, ut priuato studio poëtas Indicos, inprimis Kâlidâsam, cognosceret. Scripsit: '*Obseruationes ad Kâlidâsae Mâlavikâgnimitram.*'

CAROLUS EDMUNDUS GOETZE de uita sua haec fere scripsit: 'Natus sum C. E. Goetze Dresdae d. VI. a. kal. Octobr. a. h. s. XLIII. Quum per septem annos gymnasium ad aedem St. Crucis obissem, cui tunc Iul. Ludou. Klee rector praeerat, testimonium maturitatis nactus a. LXIIII. Lipsiam me contuli philologiae studiis operam nauaturus. Docentes audiui Brockhausium, Curtium, Drobischium, Eckstеinium, Klotzium, Ouerbeckium, Pückertum, Ritschelium, Roscherum, Schoenium, Seydelium, Westermannum, Zarnckium. Praeterea frequentaui exercitationes archaeologicas Ouerbeckii et seminarii philol. reg. per ter sex menses sodalis fui. Illis uero uiris cl., qui studia mea auxerunt, gratias ago quam maxumas.' Scripsit: '*De productione syllabarum suppletoria linguae Latinae.*'

FRIDERICUS ERNESTUS WUELCKER natus die XIIII. mens. Aug. a. h. s. XLIII. Francofurti ad Moenum patre Philippo mercatore, matre Margareta e gente Schott, postquam primos aetatis annos partim in patria urbe partim Sodeni, in oppidulo Nassouiensi in ipsa Tauri radice sito, degit, scholam patriae urbis quae uocatur *Musterschule*, adiit, deinde Torstrickio praeceptore in linguis Latina et Graeca discendis usus est, tum gymnasium Francofurtanum frequentauit Classeni et Fleckeiseni meritis tum florentissumum. Anno LXII. Gottingam se contulit, ut et Germanicis

litteris, quarum amore iam domi Franc. Rothio magistro captus erat, et antiquis operam nauaret. Itaque per quinque semestria audiuit docentes Sauppium, de Leutsch, E. Curtium, quorum auctoritate seminarii philol. reg. per duos fere annos sodalis fuit, tum G. Müllerum et L. Meyerum eorumque societatibus interfuit, quibus scriptores Sanscritos et Germanicos cognosceret. Triennio exacto Lipsiam profectus ait se audiuisse docentes G. Curtium, Klotzium, Ritschelium, tum in familiaritatem Fr. Zarnckii et Rud. Hildebrandi receptum esse et per tres annos partim Lipsiae partim in urbe patria studiis grammaticae conparatiuae et rerum Germanicarum deditum fuisse. Quum omnibus uiris, quorum disciplina usus est, grato animo se addictum esse dicit, tum maxume praedicat nomina Fr. Zarnckii, G. Curtii, R. Hildebrandi, Guil. Mülleri, Fr. Rothii, L. Meyeri. Scripsit: '*Beobachtungen auf dem Gebiete der Uocalschwächung im Mittelbinnendeutschen, bes. im Hessischen und Thüringischen.*'

RICHARDUS HENRICUS LUDOVICUS AVENARIUS Eduardi Auenarii, redemptoris librarii Berolinensis, filius natus Parisiis d. XIX. mens. Nouembr. a. h. s. XLIII., primum in schola ciuica et in gymnasio Nicolaitano Lipsiae, post in scholis realibus et in gymnasio Guilelmiano Berolini eruditus, inde ab a. LX. usque ad a. LXIII. in taberna libraria uersatus, ut hanc artem disceret, primum Berolini, mox Lipsiae F. E. Raschigio praeceptore ad altiora studia aspirauit et in uniuersitate litt. Lipsiensi docentes audiuit Drobisch, Zarncke, Th. Moebius, Fechner, ualetudinis causa in Heluetiam se postea contulit et Turici scholis Vischeri, Ettmülleri, H. Wisliceni, Rochati interfuit. A. LXV. et sequ. Berolini philosophiae potissumum studium professo auctores et praeceptores fuerunt Trendelenburg, Steinthal, Althaus, Gruppe, Werther, Berner, Dühring, Hassel, Tabbrucci, Lipsiam a. LXVI. reuerso Drobisch, Fechner, Roscher, Wuttke, Klotz, Ouerbeck, Ahrens, Curtius, Voigt, Fritzsche, Hermann. Scripsit: '*Ueber die beiden ersten Phasen des Spinozischen Pantheismus und das Verhältniss der zweiten zur dritten Phase.*'

ALEXANER DE BASAROFF natus die VII. mens. Sept. a. h. s. XLV. aquis Mattiacis patre Ioanne de Basaroff tum sacerdote ecclesiae catholicae Graecae, a. LXI. traditus seminario theologico Petropolitano ibique duos annos uersatus concessu patris in uniuersitatem litt. Petropolitanam transiit, ut historiae naturalis studio operam daret et maturitatis testimonio a. LXIIII. instructus in Germaniam abiit, ut chemiae studium amplecteretur, itaque Tubingae per duo semestria praeceptores eius fuerunt Strecker, Reusch, Quenstedt, Mohl, Heidelbergae per tria semestria Bunsen, Erlenmeyer, Kopp, Kirchhoff, Fuchs, Lipsiae Kolbe, in cuius officina doctrinae causa instituta per duo semestria se exercuit. Scripsit: '*Directe Darstellung des Harnstoffes aus Kohlensäure und Ammoniak.*'

HENRICUS BYK natus in ciuitate Galitiae Brody nominata die VII. mens. Iul. a. h. s. XLV. patre Samuele Antonio, matre Agnete, ab initio inter priuatos parietes eruditus et, postquam cum parentibus Lipsiam migrauit, primum in gymnasio, quod dicitur, moderno, mox in Thomano doctus a. LXIIII. in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit et studium rerum naturalium coluit, Lipsiae praeceptoribus Erdmann, Hankel, Naumann, Heidelbergae auctoribus Bunsen, Kirchhoff, Kopp, Lipsiam reuersus praeceptorem potissumum Kolbe habuit. Scripsit: '*Die isomeren Bernsteinsäuren.*'

HERMANNUS FRIDERICUS GRIMM natus Cassellis die VI. mens. Ian. a. h. s. XXVIII. migrauit cum patre Guilielmo, uiro egregio et de litteris nostris eximie merito, Gottingam a. XXX. Inde Rankio rectore in gymnasio Gottingensi eruditus

a. XXXIX. cum parentibus Cassellas reuersus rectore Webero haec litterarum initia persecutus est, denique patre Berolinum a. XLI. uocato eodem Rankio rectore, quo coeperat, hanc puerilem disciplinam absoluit et a. XLVII. in litt. uniuersitatem Berolinensem transiit, ut iuris prudentiae operam daret, eodemque consilio a. XLVIII. sex menses Bonnae uersatus mox historiae studium, quod iam ante Rankio auctore adamauerat, suscepit et maxume historiam artium persecutus est, ad quod colendum ter Italiam petiit et Francogalliam atque Angliam adiit. Praeter libros iam editos nunc in Raphaëlis pictoris historia contexenda elaborat. Ab Ordine nostro propter librorum ab ipso editorum praestantiam summos honores consecutus est.

CAROLUS GUILELMUS RICHARDUS NITZSCHE de uita sua haec ferre rettulit: 'Natus sum Altenburgi a. d. VII. Id. Febr. a. h. s. XLIII. parentibus probis, carissumis, patre Augusto, matre Guilelmina e gente Pabstia, quibus superstitibus gaudeo. Elementis litterarum inbutus obii gymnasium Fridericianum Altenburgense, quod H. E. Foss rectore etiam nunc floret, quod postquam per decem annos frequentaui, ineunte a. LXIIII. dignus inuentus, qui in academiam transirem, Ienam me contuli ibique in philologorum studium incumbens uiros doctissumos audiui Göttling, Nipperdey, M. Schmidt, Schleicher, Caro, Guedechens, Cun. Fischer, Ad. Schmidt ac per annum et semestre spatium seminarii philologorum fui sodalis. Biennio post Lipsiam migraui, ubi per quinque fere semestria interfui scholis uirorum clarissumorum Curtius, Drobisch, Eckstein, Klotz, Ritschl, Voigt, Zarncke: etiam hic per annum unum sodalis seminarii regii philologorum fui. Illis uero uiris illustrissumis bene de me meritis maxumam habeo gratiam semperque habebo.' Scripsit: '*Quaestionum Eudocianarum capita duo.*'

FRANCISCUS DE KIRALY natus die XIX. mens. Mai. a. h. s. XLII. Debreczini in Hungaria in praedio paterno, inter priuatos parietes et aliquot annos in paedagogio Gelencciano in patria ciuitate eruditus, annos natus XIIII. in scholam realem superiorem Vindobonensem missus, cuius disciplina absoluta a. LX in uilla auunculi Colomani de Simonffy prope Debreczinum agricolationi se dedidit, disciplinas artis agricolaris, maxume chemiam, non neglegens. Deinde ab a. LXII. usque ad a. LXIIII. in caes. reg. academia, quae Schemnicii in Hungaria disciplinae metallicae et saltuariae causa condita est, uersatus eaque disciplina rite absoluta duo semestria in academia reg. Württembergica agricolari Hohenhemensi prope Stutgardiam consumpsit indeque cum laude dimissus in uniuersitatem litt. Lipsiensem se contulit, ut oeconomiae nationali quae dicitur prorsus se dicaret. Hic duobus semestribus exactis Berolinensem uniuersitatem litt. adiit, et bis sex menses ibi uersatus Lipsiam rediit, ut hic studia sua absolueret. Scripsit: '*Betrachtungen über Socialismus und Communismus in ihrem Verhältniss zu den Grundformen des Rechts, zur politischen Oeconomie, zur socialen Praxis und zur Politik.*'

FRANCISCUS FRIDERICUS EUGENIUS BORGMANN natus Deciae ad Laganam die X. mens. Aug. a. h. s. XLIII. patre Hermanno Borgmann succenturione superiore, parentibus praematura morte ereptis Aquas Mattiacas ad propinquos translatus est. Hic primis litterarum elementis perceptis in gymnasium reale a. LIII. receptus moderante Casselmanno in officina chemica elaborauit. Inde in uniuersitatem litt. Heidelbergensem transgressus audiuit docentes Bunsen, Kirchhoff, Kopp, Erlenmeyer, Fuchs, Ahler, Meidinger, et in officinis chemicis Bunsenii et Erlenmeyeri se exercuit. Dein Turici praeceptores eius fuerunt Bolley, Staedeler, Piccard, Vischer, Lübke. Tum Offenbachii in officina chemica Oehleri usque ad mens. Aug. a. LXVII.

uersatus Berolini studia chemiae moderante potissumum Bayero absoluit. Scripsit: '*Ueber Toluchinone.*'

RUDOLFUS CAROLUS AUGUSTUS WEIDMANN natus Salfeldae die XIX. Ian. a. h. s. XL. patre Weidmanno theol. doctore et consiliario supremi collegii scholastici ducalis Meiningensis, matre Paulina Hohnbaumiana, primum in schola reali Salfeldensi, cui pater tum praefectus erat, eruditus mox, patre Meiningam uocato in gymnasium Bernhardinum Meiningense transiit. A. XXXIX. Ienam se contulit, ut philologiae et historiae studium amplecteretur, ubi audiuit docentes Göttlingium, Nipperdeium, Cun. Fischer, Ad. et Maur. Schmidtios. Inde ab a. LXI. Bonnae ei praeceptores fuerunt Ritschelius, Iahnius, de Sybel. Academico triennio exacto Ienam reuertit, ut in Stoyii instituto docendo exerceretur. Incunte a. LXIII. Iena relicta examen publicum in patria terra absoluit indeque Mindae per tres annos adiutor in gymnasio, quod est Mindae Westphalicae, fuit. Scripsit: '*Die Quellen der sechs ersten Bücher von Tacitus' Annalen.*'

OSCAR MARPURG natus die XXV. mens. Nou. a. h. s. XXXVII. in colonia Germanica haud procul a Saratouia ciuitate ad Wolgam in Russia sita, quae Germanis Dittel, Russis Oleschna appellatur, patre uerbi diuini ministro euangelicae ecclesiae, a parentibus primum educatus et eruditus, annos natus septem Dorpatum translatus, primum linguam Russicam in schola elementari edoctus, mox gymnasium adiit et his studiis rite absolutis inde ab a. h. s. LVI. in uniuersitatem litt. Dorpatensem transiit, ut theologiae ac philosophiae studium coleret et examen, quod uocant, theologicum absolueret. His rebus omnibus actis transactisque per tres annos praeceptor puerorum in Curonia fuit et paulo post uerbi diuini minister Petropoli factus est. Uerum tamen quum eius opiniones de rebus diuinis uehementer discreparent cum decretis collegiorum ecclesiae Lutheranae Petropolitanae, munere se abdicauit et in Germaniam abiit, ut ei maxume parti philosophiae operaretur, quae de rebus diuinis quaerit. Libellus eius inscriptus est: '*Das Wissen und der religiöse Glaube.*'

FRIDERICUS BERNARDUS GERTH de uita sua haec fere ad nos scripsit: Ego Fr. B. G. Dresdae natus a. h. s. XLIIII. Non. April. Quum iam a puerili aetate ludi magistri olim munere fungi uehementer cupiuissem, annos natus XIIII. proseminarii, anno aetatis XVI. seminarii Fletcherani alumnis ascriptus sum. Sed biennio post, paullum immutata uoluntate, priuatim cum Kallmeyero meo, cuius praematura mors grauissumo me dolore adflixit, litteras Graecas et Latinas tractare coepi, anno LXII. in gymnasii, quod ad aedem St. Crucis est, discipulorum numerum relatus et Kleei, Hultschii, Baltzeri, Helbigii praeceptorum carissumorum disciplina usus sum. Denique inde ab a. h. s. LXV. in uniuersitate litt. Lipsiensi philologiae studio me dedidi ducibus Ahrensio Brockhausio Curtio Drobischio Klotzio Ritschelio Schoenio Voigtio, uiris clarissumis; plurimum autem in ea re me adiuuerunt seminarii philologici et societatis Curtianae exercitationes, quarum praesidibus quantum debeam gratiae dicere uix possum.' Scripsit: '*Quaestiones de Graecae tragoediae dialecto.*'

GEORGIUS GUENTHER natus die XVII. mens. Dec. a. h. s. XLV. Altenburgi patre Carolo Friderico, matre Selma Hauschildiana, uix quattuor annos natus cum patre, qui antistes dioecesis ecclesiasticae et pastor primarius apud Ronneburgenses factus erat, eo concessit et primum a patre ipso litteris eruditus uere a. LX. in gymnasium Fridericianum H. E. Fossio rectore receptus est. Quadriennio exacto in uniuersitatem litt. Ienensem transiit philologiae operam daturus et interfuit scholis Göttlingii, Nipperdeii, Cun. Fischeri, Gaedechensii, inde Bonnensem uniuersitatem litt. adiit, ubi praeceptores ei per annum fuerunt Ritschelius, O. Jahn, Gildemeister, Schaefer, Springer, inde per quinque semestria Lipsiae frequentauit scholas Ahrensii, Curtii, Ecksteinii, Ouerbeckii, Ritschelii, Roscheri, Voigtii, Wuttkii, Zarnckii et exercitationibus grammaticis G. Curtii interfuit. Praeceptoribus et scholasticis et academicis omnibus grato animo se addictum esse profitetur. Scripsit: '*De obiecti, quod dicitur, interioris usu Euripideo.*'

FRIDERICUS GUILELMUS GOTTHELF WINCKLER de uita acta haec fere rettulit: 'Natus sum Halis Saxonum a. d. XVIII. kal. Decembr. a. h. s. XLI. patre Friderico et matre Amalia e gente Hofmannia, quos morte ereptos maxume lugeo semperque lugebo. — Primis litterarum elementis in gymnasio, cui nomen est schola Latina, inbutus, nonnullis annis post discipulis paedagogii regii ascriptus sum. Post tres annos et sex menses maturitatis testimonium adeptus, ut theologiae me traderem studiis, ciuibus uniuersitatis litt. Halensis ascriptus sum. Duobus annis post Erlangam ad studia continuanda profectus sum. Nonnullis annis post examine pro rectoratu absoluto, nunc dissertatione scripta et ab Ordine philosophorum Lipsiensi approbata, postquam litterarum scientia tentata est, summos in philosophia honores rite inpetraui.' Scripsit: '*De Neruae imperatoris uita ac rebus gestis.*'

CAROLUS RICHARDUS HENKE natus Dresdae die XXIIII. mens. Aug. a. h. s. XLVII. primum in schola reali Annana eruditus, deinde nouem annis exactis in scholam polytechnicam receptus praeceptores habuit Schlömilch, Lösche, Stein. Anno LXVI. maturitatis testimonium in gymnasio, quod est ad aedem St. Crucis, adeptus in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit et praeceptores in physica disciplina et mathematica et in philosophia habuit Scheibner, Hankel patrem, Hankel filium, Drobisch. Scripsit: '*Ueber die Methode der kleinsten Quadrate.*'

FRIDERICUS IULIUS SCHMIDT natus die VIII. mens. Aug. a. h. s. XXIII. Sangerhusae, in eius ciuitatis montanae ludo publico inde ab a. XXX. usque ad annum XXXVIII. eruditus, et a Tuphornio rudimentis artium mathematicae et mechanicae inbutus in scholam architectonicam Fribergensem transiit. In patriam ciuitatem reuersus architecturae studium colere instituit et inde a mense Augusto a. XLII. scholam realem superioris ordinis, quae est Ascaniae, frequentauit. Anno XLV. hac disciplina absoluta per annum in agris metiendis se exercuit et uoluntaria stipendia annua fecit Erfordiae Thuringorum. Examinibus succenturionis et agri mensoris absolutis dimissus est. Tum, quum in scholam architectonicam regiam Berolinensem recipi non posset, quod exercitationes in amplioribus agrorum partibus ei facere concessum non fuerat, patrem, qui iam ante in Americam se contulerat, sequi constituit et linguas Anglicam et Hispanicam discere coepit, tum Dresdam anno XLVIII. profectus est, ut agri mensorum artem disceret. Sed quum pater interea ex America reuersus eum certiorem fecisset agri mensorum satis magnam multitudinem in America esse, ut architecti metallici artem disceret, in academiam Fribergensem metallicam se contulit et biennio exacto hanc disciplinam absoluit. Postea annis L. et LI. itinera per regiones metallis fecundas Austriae, Silesiae, Hercyniae siluae fecit et aliqua parte Angliae uisitata mense Iulio LI. in Americam profectus est. Postquam in multis eius partis telluris nostrae terris uersatus multas res, quae ad bestiarum naturam cognoscendam et metallorum indolem percipiendam facerent, collegit et in metallis aut in officinis metallicis operam suam posuit, a. LXI. in patriam ciuitatem

redux factus est. Aestatem deinde Teplicii et hiemem Norimbergae transegit et in historiam artium studium suum contulit ac nunc ipsum in tabulariis Saxonicis et Thuringicis cognoscendis uersatur. Libellus eius inscriptus est: '*Geschichte der Serpentin-Industrie zu Zöblitz im sächsischen Erzgebirge.*'

GUSTAUUS OTTO SCHUESSLER natus in uico Borussiae orientalis Sznaugsten die VI. mens. Apr. a. h. s. XLIIII. patre Carolo, matre Henricetta e gente Kirchbergia, quum pater stipendia faceret, in uariis uicis oppidisque uersatus est et undecumo demum aetatis anno certum domicilium, quum pater abdicata militia custos ecclesiae Polonicae Regiomontii Borussorum factus esset, in ea ciuitate inuenit, cuius primum gymnasium palaeopolitanum rectore Ellendtio frequentauit indeque in Academiam Albertinam transiit doctoribusque usus est Lehrsio, Friedländero, Rosenkranzio, Nitzschio, Giesebrechto, duos illos priores maxume celebrans. Aestate a. LXIII. Bonnam migrauit et docentes audiuit Ritschelium, Iahnium, Springerum. Uere a. LXIIII. Berolinum profectus quae Ritschelio auctore elaborare uoluit priuatò otio perficere studuit, sed a. XLV. et LXVI. Berolini in exercitu regio militiam uoluntariam capessens coactus est signa sequi et Torgauiae, tum Lipsiae a. LXVI. stipendia fecit et in altiorem ordinem militarem ascendit. In patriam reuersus Regiomontii in gymnasio palaeopolitano litteras docuit, denique gymnasii Mariaeinsulani praeceptor ordinarius creatus est. Scripsit: '*De nominibus gentium paragogis Graecis.*'

CHRISTIANUS GODOFREDUS ACHMEDUS SCHOLTZE natus die XXV. mens. Aug. a. XL. Lipsiae patre Christ. Adolfo praeceptore scholae ciuicae, annis XLIV—LVIIII. gymnasium Nicolaitanum frequentauit et uere a. LVII., ut philosophiae et paedagogicae operam daret, in uniuersitatem litt. nostram transiit, in qua doctores eius fuerunt Drobisch, Klotz, Nobbe, Westermann, Bursian, Zarncke, Lipsius, Wachsmuth, Wuttke, de Treitschke, quorum omnium grato animo se meminisse profitetur. In ipso studiorum tempore patrem morte amisit et, postquam aliquamdiu praeceptor domesticus et priuatus fuit, candidatus muneris scholastici superioris factus est et in schola reali annum ex lege docuit. Eius libellus inscriptus est: '*Die Beziehungen zwischen Rom und Hellas vom Sturze der Königsherrschaft bis zum epirotischen Kriege.*'

ERNESTUS GUSTAVUS KIRSCH Sagani in Silesia mense Sept. a. XLI. natus, in gymnasio Saganensi usque ad ordinem secundum ascendit, tum in primam classem regiae scholae realis Zittauiensis receptus architecturae mechanicae operam dare constituit et in primam classem scholae prouincialis quaestuariae Gorlicensis transiit eiusque cursum cum laude absoluit. Exhinc tres annos in regia Academica quaestuaria Berolinensi consumpsit, quo studiorum cursu perfecto, quum mathematicam disciplinam adamasset, huius disciplinae causa Parisiis menses quindecim uersatus in collegio Francico atque in scholis Sorbonica et cunicularia (école des Mines) mathematicas et mechanicas disciplinas coluit praeceptoribus Liouuille, Serret, Chasles, Lamé, Puiseux, Haton de la Goupilière, aliis, inde Turicum petiit et in polytechnico Heluetico Wolf, Lübke, Reuleaux, Clausius, Vischer, alii eius praeceptores fuerunt. Berolinum reuersus quindecim menses in uniuersitate litt. scholas mathematicas et physicas audiuit horum uirorum: Weierstrass, Kummer, Kronecker, Foerster, Quincke, Arndt. Anno LXVI. candidatus disciplinae mathematicae atque mechanicae publica auctoritate declaratus praeceptor mathematicae in schola prouinciali quaestuaria Gorlicensi factus est. Scripsit: '*Die Fundamentalgleichungen der Theorie der Elasticität fester Körper usw.*'

HERMANNUS THEODORUS SCHAEFER natus Wittenbergae d. XVIII. mens. Decembr. a. h. s. XLI. gymnasium Wittenbergense frequentauit eaque disciplina rite absoluta in uniuersitatem litt. Berolinensem transiit, ut studium suum philosophiae et philologiae classicae Boeckhio maxume et Hauptio auctoribus dicaret. A. LXIIII. examine pro facultate docendi absoluto et stipendiis uoluntariis per annum factis uere a. LXV. praeceptor gymnasii Friderico-Guilielmiani, quod est Cotbusii, factus est, ibique mansit, nisi quod per sex menses stipendia in bello a. LXVI. fecit. Scripsit: '*De Dorismi in tragoediis Graecis usu.*'

HERMANNUS FRITSCHE natus die XXVIII. mens. Mai. a. h. s. XXXIX. Ratzeburgi in ducatu Lauenburgensi in gymnasio patriae ciuitatis litteris eruditus et a. LIX. in uniuersitatem litt. Gottingensem transgressus, ut mathematicas disciplinas coleret, audiuit docentes Riemann, Stern, Ulrich, Schering, Weber, Listing, Wochler, Wicke, Ritter. Deinde Berolinum profectus maxume Foerstero auctore astronomiae studium fouit audiuitque praeter Foersterum, quem nominaui, docentes Encke, Kummer, Trendelenburg. Quattuor semestribus absolutis a. LXIII. Pulcouae quadriennium in specula astronomica operam dedit. Anno LXVII. speculae magneticae ac meteorologicae, quae est Pekingae in terra Sinensi, praefectus est. Scripsit: '*Ueber den Planeten Cybele* (65).'

FRIDERICUS REINHOLDUS DRESSLER de uita sua haec ad nos scripsit: 'Ego natus sum Budissae a. h. s. XLV. a. d. V. Kal. Nouembr. patre Timotheo, gymnasii Budissini collega, matre Guilelmina e gente Schulzia, a qua educatus per tredecim semestria gymnasium Budissinum frequentaui, unde examine superato Lipsiam me contuli a. LXIIII. ibique per quadriennium philologiae studiis me dedidi. Interfui scholis Ahrensii, Brockhausii, Curtii, Ecksteinii, Klotzii, Ouerbeckii, Ritschelii, Schoenii, Weissii, Westermanni, Zarnckii, Voigtii, Roscheri. Per biennium sodalium seminarii reg. philol. numero ascriptus fui, per sex menses senioris munere fungens. Praeceptoribus omnibus, quorum disciplinae fruitus sum beneficio, maxumas gratias ago habeoque.' Libellus eius inscriptus est: '*Quaestiones criticae ad Maximi et Antonii gnomologias spectantes. Accedunt disputatiuncula de florilegio quodam inedito et schedae criticae.*'

MAURICIUS ADOLFUS GELBKE de rebus suis haec fere ad nos scripsit: 'Ego M. A. G. Zittauiensis a. h. s. XLVI. d. VII. mens. Aug. natus sum. Patrem habeo Mauricium Augustum, matrem praematura morte mihi ereptam uehementer doleo, Mariam Augustam de gente Schwabe. Postquam quinque per annos adii scholam oppidanam a. LVII. receptus inter ciues gymnasii Zittauiensis quod moderatur Kaemmel uir doctrina et humanitate praestantissumus, ueterum scriptorum tractationem ita adamaui, ut, quum octo annis praeteritis in Academiam Lipsiensem dimitterer, philologiae studio me dare destinarem. Paene per quadriennium praeceptoribus usus sum antiquarum litterarum Curtio, Klotzio, Nobbio, Ouerbeckio, Ritschelio, Schoenio, linguarum et Germanicarum et Romanensium Zarnckio, Eberto, philosophiae Ahrensio, Drobischio, Roschero, rerum et ueterum et recentiorum Biedermanno, Pückerto, Voigtio, Wenckio, Wuttkio, disciplinae paedagogicae Ecksteinio, Masio, quibus omnibus gratiam quam maxumam me debere ex animo profiteor.' Scripsit: '*De dialecto Arcadica.*'

OTTO BOEHMER de uita sua haec rettulit: 'O. B. a. h. s. XLIII a. d. IIII.

Non. Dec. a Gustauo patre optumo ex Elfrida matre carissuma gentis Braemianae Rednaui in uico quodam Borussiae orientalis susceptus sum. Litterarum elementis satis instructus gymnasium adii Rastenburgense, cuius a directore Techow uiro doctissumo et humanissumo in quartum discipulorum ordinem receptus sum. Inde quum septem annis interiectis cum maturitatis testimonio essem dimissus, in academiam Regiomontanam me contuli eiusque ciuibus ascriptus per septem semestria spatia operam nauaui studiis philologicis. Audiui autem praeter alios proff. ill. Lehrs, Friedlaender, Rosenkranz, Schade, Ueberweg. Quos uiros omnes maxuma curae operaeque in me collocatae gratia semper prosequar.' Scripsit: '*Obseruationes de formulis Homericis.*'

FRIDERICUS GUILIELMUS NIETZSCHE de uita sua haec scripsit: 'Natus sum in uico Thuringorum qui Roecken uocatur Idibus Octob. anni h. s. XLIV. Ludouico et Franzisca parentibus fidei addictus euangelicae. Quartum aetatis annum agenti cum mihi tristissimo fato pater abreptus esset, Numburgum me cum matre dilectissima contuli, ubi artium liberalium principiis inbutus sum. Autumno anni LVIII. inter gymnasii Portensis alumnos receptus per sexennium scholis interfui praeceptorum Peteri Kobersteinii Steinharti Keilii Corssenii aliorum. Exeunte anno LXIV. Bonnae ciuibus academicis adscriptus prodocentes audiui Ritschelium Iahnium Schaarschmidtium Springerum. Ibi cum per annum studiis philologicis operam dedissem, Lipsiensem adii uniuersitatem Ritschelium secutus hoc ipso tempore Bonna discedentem. In hac litterarum sede per quater sex menses scholas Ritschelii Curtii Roscheri Eberti Tischendorfii frequentaui: postea iussu militari auocatus Numburgum redii artibus equitandi globosque emittendi operam nauaturus.

Ineunte anno LXIX. uniuersitas Basiliensis mihi professoris extraordinarii munus detulit.' Ab Ordine nostro ob scriptorum ab eo editorum praestantiam summos honores inpetrauit.

ADOLPHUS FRIDERICUS GUILIELMUS DUVE Halberstadiensis gymnasium et scholam realem Halberstadiensem frequentauit et a. h. s. LX. in eadem ciuitate disciplinam medicamentarii suscepit, quam absoluit Quedlinburgi a. LXIII. examine probatus. Deinceps Magdeburgi, Berolini, Aquisgrani, Turici, in ciuitate Montreux ad lacum Lemanum, denique Lipsiae in officinis medicamentariis operatus est. Autumno a. LXVII. in uniuersitate litt. Lipsiensi studia pharmaceutica coluit et publicum examen subiit a. h. LXVIII. Deinde studium chemiae academicum persecutus est praeceptoribus Erdmann, Kolbe, Hankel, Schenk, Naumann, quibus omnibus grato animo se esse addictum profitetur, maxume uero Erdmanno, in cuius officina sese exercuit. Scripsit: '*Beiträge zur Kenntniss der Borweinsäure des Borsäureweinsteins und Boraxweinsteins.*'

ALBERTUS MAXIMILIANUS RICHARDUS HÜGEL de uita sua haec fere rettulit: 'Natus sum a. h. s. XLV. a. d. VII. Id. Febr. Sedini patre Henrico, quem ante hos quindecim menses morte mihi ereptum pio animo lugeo, matre Albertina e gente Oldenburg superstite. Primis litterarum elementis in patriae Friderica Guilelma schola inbutus, quindecim annos natus uitae cursu mutato gymnasium adii, unde autumno a. LXIIII. maturitatis testimonio instructus primum Berolinensem tum Heidelbergensem uniuersitatem petii ibique in Graecis Latinisque litteris tractandis studium collocaui. Deinde tribus semestribus circumactis medii aeui et philologicis et historicis studiis operam daturus Bonnam me contuli et anno interiecto Lipsiam

migraui. Uiri doctissumi, quorum interfui scholis, fuerunt hi: Althaus Boeckh Geppert Haupt Massmann Steinthal Droysen Berolinenses, Häusser Köchly de Reichlin-Meldegg Heidelbergenses, Bernays Delius Diez Usener Springer Treitz Bonnenses, Brandes Curtius Ebert Merkel G. Voigt Zarncke Lipsienses. Quorum uirorum omnium et in primis optume de me meritorum Zarnckii et Eberti memoria nunquam mihi non erit gratissuma.' Scripsit: '*Ueber die Betonung der Wörter von drei und mehr Silben bei Otfrid.*'

RICHARDUS BIEDERMANN Caroli Biedermanni collegae nostri, quem honoris causa nomino, filius natus est die XX. mens. Iul. a. h. s. XLIII. in sede aui materni Kochii praefecti siluis ciuitatis Lipsiensis prope Lipsiam sita, ubi parentes ea aestate rusticabantur. Primum a patre litteris inbutus, inde a uere a. LIIII. usque ad autumnum a. LV. frequentauit gymnasium Lipsiense, quod dicitur, modernum, tum cum parentibus Vinariam migrauit, quo pater uocatus erat ad ephemeridas publicas moderandas, ibique scholam realem adiit usque ad a. LX. Anno praeterea inter priuatos parietes eruditus agricolationi operam dedit in dominiis Witzleben prope Ilmam et Zwätzen prope Ienam sitis, a. LXIII. ludum agricolarem, qui erat Plagwicii prope Lipsiam apertus, adiit, deinde a. LXIIII—LXVIII. in uniuersitate litt. Lipsiensi docentes audiuit Roscher, Hering, Knop, Hankel, Naumann, Mettenius, Erdmann, Hirzel, Biedermann, Kolbe, Seydel, Birnbaum. Inde a mense Octobr. a. LXVIII. adiutor G. Kühnii in statione agricolari in uico Moeckern prope Lipsiam experimentorum faciundorum causa instituta operatur. Scripsit: '*Einige Beiträge zu der Frage der Bodenabsorption.*'

CONRADUS HENRICUS WEIGELT natus die mens. Mart. a. h. s. XLIIII. Neurodae in comitatu Glacensi, qua in ciuitate tum pater ius dixit. A. XLIX. Wartenbergam in ducatu Posnaniensi translatus et primis litterarum elementis inbutus primum in scholam ciuicam tum in gymnasium Schweidnicense usque ad a. LVII. missus est. Eo tempore factum est, ut rebus nauticis se dicare constitueret, praesertim quum pater a. LVIII. consiliarius iudicii appellatorii Sedinensis factus esset: nomen igitur professo Kal. Mai. a. LX. receptionis dies destinatus est. Interea scholam realem Friderico-Guilelmianam Sedini frequentauit, sed quum hieme a. LIX. et LX. denique cognitum esset adulescentem, quia oculis non satis prospiceret, militiam classiariam inire non posse, saltem mechanicae artis scientia rebus nauticis operam suam nauare constituit et scholam quaestuariam prouincialem adiit. Sed A. Kremeri praeceptoris sui auctoritate mutauit consilium et quum in scholam polytechnicam regiam Berolinensem a. LXIIII. transiret, chemiae operam se daturum esse professus est. Inde primum Berolini, tum Gissae, denique Lipsiae hanc artem coluit et Lipsiae quidem Knopii potissumum auctoritate chemiae agricolari operatus est. Scripsit: '*Ueber die Patellarsäure, eine neue Flechtensäure und ihr Vorkommen in der Parmelia scruposa.*'

HERMANNUS AEMILIUS ADOLFUS IOANNES GUERICKE de uita sua haec fere ad nos scripsit: 'Brachwicii in pago ad Halam Saxonum sito a. d. XIII. Kal. Ian. a. h. s. XLI. natus a patre sacerdote, cum duodecim annos compleuissem, Eckstein, uiro optumo, qui Halae tum uersabatur, in disciplinam traditus sum. Cuius schola octo fere per annos frequentata sum egressus, ut litteris sanctis in academia Halensi operam darem. Sanctarum autem litterarum studio quum haud sciam an ducerer paene nullo, fieri non potuit quin mecum ipse discordarem. Quo factum

est, ut biennio interiecto ad litterarum earum studium, quod profitentur grammatici, me conferrem. Uniuersitate litt. Halensi triennio exacto relicta praeceptoris domestici per annum functus Suanebergium domum paternam redii, ut litteris studerem. Quod quo melius fieri posset, ciuitati academicae Halensi a. d. XI. Kal. Nou. a. LXVI. curaui me ascribendum et usque ad mens. Octobr. a. LXVII. Halae studiorum causa uersatus iterum domum me rettuli.' Eius libellus inscriptus est: '*Bellum Lamiacum secundum scriptores ueteres narratur.*'

RICARDUS KLOTZ de uita sua haec scripsit: 'Ego, Ricardus Klotz, patre Reinholdo philologiae classicae in uniuersitate litt. Lipsiensi professore ordinario et matre Aemilia de gente Mueller natus sum in uilla patris Kleinzschocheriana prope Lipsiam sita a. h. s. XLVI. die Aprilis tertio. Parentes, quos etiam nunc uiuos colo, quum in ceteris rebus omnibus optume mihi consuluerunt, tum maxume eo, quod me primis litterarum elementis ab Aug. Forker reu. min. candidato inbutum in gymnasio Nicolaitano, quod Nobbio Lipsioque rectoribus tum florebat, ad studia altiora institui uoluerunt. Itaque examen pro maturitate a. LXV. superaui. Atque inde ab hoc tempore in academia Lipsiensi per quattuor annos studiis philologicis me dedidi patris consilio adiutus. Atque scholis praeter patris maxume interfui Georgii Curtii et, ex quo Lipsiae uersabatur, Friderici Ritschelii philologicis, Drobischii et Ahrensii philosophicis, Zarnckii Germanicis, Brockhausii sanscriticis, Roscheri, Wuttkii, G. Voigtii, Eberti, Brandesii, Pueckerti historicis, Ouerbeckii archaeologicis, Ecksteinii paedagogicis. Denique nominandus est Gustauus Haenel, qui mihi non solum de caussis Romanorum publicis exposuit, sed ipsos iuris Romani fontes aperuit. At quum omnia ad studia Graeca et Latina reuocare consilium esset, inprimis gaudeo mihi licuisse, ut et seminarii regii philologici per annum et sex, per quos senioris munere functus sum, menses et seminarii regii paedagogici per unum annum socius essem itemque societatibus Ritschelii et Curtii interessem, quorum uirorum eruditioni atque doctrinae quid debeam numquam obliuiscar. His igitur sicut ceteris omnibus summam gratiam habeo semperque habebo.' Dissertatio eius inscripta est: '*De numero anapaestico quaestiones metricae.*'

LIPSIAE TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.

PART 2

87CL1
DZ6
3 P.2

RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLXX

INDICIT.

Praeposita est Reinholdi Klotz adnotationum ad Ciceronis epistolarum ad T. Pomponium Atticum missarum libros pars altera.

LIPSIAE
FORMIS DESCRIPSIT ET UENUMDAT A. EDELMANNUS
LIBRARIUS ACADEMICUS.

70

Dixi nuper de iis locis, qui ex Ciceronis epistolarum ad Atticum missarum libris primo et altero adnotatione nostra indigere uiderentur, iam uenio ad librum tertium. Huius libri unum tractabo locum ex epist. 25. pr., ubi quum in cod. Mediceo et exemplis uetustioribus litterarum formis descriptis legeretur *Post tuum a me discessum*, neque tamen ueri simile esse uideretur Atticum Ciceronem uidisse Dyrrachii, nuper Bootius ac Baiterus de Kahntii coniectura scripserunt: *Post tuum a meis discessum*, id quod non probo. Si quid mutandum est, scribendum mihi uidetur: *Post tuum ab urbe discessum.* Constat enim uocem urbis notis fuisse scriptam, uide H. Keilii *Grammaticos Latinos* uol. IIII. p. 314. col. 2. n. 8 et 9. tum p. 330. col. 2. n. 29 et 30. et p. 346. col. 2. n. 9. idemque in codice archetypo harum epistolarum fuisse ita institutum inde apparet, quod lib. VIII. epist. 2. § 3. hoc ipsum nomen excidit e cod. Mediceo. Hoc loco mirum est enotari e cod. Helmstadiensi *a nobis* pro *a me*, quod si aliquo modo antiquitus traditum fuerit, poterit e uestigio illius compendii natum fuisse.

Ex libro quarto exempli causa ponam haec. Epist. 1. § 4. nunc iam ex Ascensiana tertia scribendum existumo: *Nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea tibi scribam breui, quae te puto potissumum ex meis litteris uelle cognoscere.* Etenim etsi nescimus e quibus codicibus *tibi* in Ascensianam uenerit — dicitur enim 'e codd.' receptum esse pronomen — tamen in cod. Mediceo scriptum est itemque in editionibus uetustioribus **inscribam**, ut id olim TBSCRIBAM, id est, *tibi scribam* fuisse uideatur. De nota pronominis *tibi*, quae fuit ĪB,

conferas uelim H. Keilii *Grammaticorum Latinorum* uol. IIII. p. 281. col. 1. n. 14. p. 314. col. 1. n. 24—27. p. 329. col. 2. n. 23—26. p. 346. col. 1. n. 10. et col. 2. n. 11. aut fuit ṫ scriptum, qua de re conferendus est Guil. Freundius ad M. Tullii *orationem Milonianam* p. VIII. col. 1. n. 77., quod item poterat pro ı, id est, *in* haberi. Eiusdem epistolae § 5. nulla idonea causa excogitari potest, quam ob rem, quum in cod. Mediceo et in antiquis editionibus omnibus scribatur: *Ad urbem ita ueni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi ob uiam non uenerit praeter eos inimicos, quibus id ipsum, se inimicos esse, non liceret aut dissimulare aut negare.*, uerba *se inimicos esse* omittenda sint. Nam omissis illis uerbis ne hoc quidem intellegitur quo pertineant uerba *dissimulare* aut *negare.* Nam omissione illa facta grammatica ratio hoc loco postularet, ut *ob uiam uenire* supplendum putaremus. Quod si Bootius contulit epist. 8. b. § 4. *ubi nihil erit, quod scribas, id ipsum scribito.*, miror uirum doctissumum non intellexisse longe aliam illius loci esse rationem. Ibi enim nihil aliud intellegi potest nisi hoc ipsum, *nihil esse quod scribas.* Nec minus miror, quod idem Bootius, etiam postquam Fr. Buechelerus in *Mus. Rhen.* nou. ser. uol. XI. p. 512. docuit uerba: *ita sunt res nostrae, ut in secundis fluxae, ut in aduorsis bonae,* e ueteris cuiusdam poëtae uersu petita sibi uideri, epistola huius libri altera § 1. in uerbis his: *prioribus tibi declaraui aduentus noster qualis fuisset et quis esset status atque omnes res nostrae quem ad modum essent, ut in secundis, fluxae, ut in aduorsis, bonae.* extrema uerba haec: *ut in secundis—bonae,* abiicienda censuisse, quibus abiectis uerbis etiam si constaret sententia, tamen aliquid Ciceronis orationi sine idonea causa detraheretur. Ciceronis enim uidetur interfuisse meminisse Atticum rerum suarum condicionem. Poëtae uersum memoria tenuisse Ciceronem etiam tempore posteriore intellegitur, si quidem *ad M. Brutum* lib. I. epist. 10. § 2. scripsit: *Huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa, ut in aduersis, bona.* Conferantur etiam quae scripsi iam superiore tempore de hoc loco in prooemio *Epistolarum ad Atticum* p. X sq.

Epistola huius libri altera § 2. iam non dubito quin uerum illud sit quod in uetustis editionibus, Iensoniana, Ascensiana, Heruagiana, Cratandrina, legitur: *Acta res est accurate a uobis, et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit.* Nam id, quod in cod. Mediceo scriptum est *dolor et magnitudo* casu aliquo etiam ex illa scriptura oriri potuit, quae habet sententiam ad hunc locum aptissumam, illud autem, quod de Guilielmi coniectura Bootius et Baiterus nuper reposuerunt: *dolor et rei magnitudo,* ut ingenue fatear quod sentio, ne conuenire quidem huic loco satis uidetur. Exspectaueris certe dici: *dolor meus et rei magnitudo.* Sed iam satis erat dici *doloris magnitudo.* Eiusdem epistolae § 4. iam mea quidem sententia uix potest dubitari quin id uerum sit, quod est in cod. Cratandrino inuentum, ut receptis illis uerbis scribatur: *tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit religionis iudices pontifices fuisse, legis [esse] senatum: se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos cum senatu. Itaque suo quisque horum loco sententiam rogatus multa secundum causam nostram disputauit.* Ac primum quidem *esse*, quod M. Seyffertus ante *senatum* interposuit, uerum esse uidetur et potuit id ante *senatum* facile oblitterari. Recte autem cod. in margine exempli Cratandrini scriptum habet: *in senatu de lege statuturos cum senatu. Itaque suo quisque* et quae sequuntur. Etenim tantum abest ut superuacanea esse uideatur uox *cum senatu,* ut ea ipsa ascriptio paene necessaria censenda sit. Pontifices enim in senatu noluerunt ut pontifices iudices esse, sed ut senatores una cum ceteris senatoribus rem diiudicare, itaque rectissume adiungitur *cum senatu*, quod nescio quo casu e cod. Mediceo excidit cum aptissuma illa uoce, quae sequitur, *itaque.* Quod quum ita sit, laudo Baiterum, quod *itaque* recepit, non laudo, quod uerba *cum senatu* non sine uncis reposuit, quae certe uerissuma sunt, si *itaque* iure receptum est. Eadem epistola § 6. credo iam recte scribi: *sic enim uostrae rationes, utilitates meae postulabant.* neque id uidetur molestum hoc loco esse, quod rationes communes Ciceronis et Attici dicuntur, utilitates propriae Ciceronis: rationes enim sunt consiliorum a Cicerone una cum Attico initorum, utilitates autem commodis eis continebantur, quae ad unum Ciceronem pertinebant.

Sed haec leuiora: grauius illud est, quod epistola huius libri tertia § 3. res admodum plana ac facilis cognitu Bootio Baiteroque etiam nunc negotia facessit. Narrat Cicero eo loco de P. Clodii inpetu in domum

Milonis facto his quidem uerbis: *Ille omnium uocibus quum se non ad iudicium, sed ad supplicium praesens trudi uideret, omnes Catilinas Acidinos postea reddidit: nam Milonis domum eam, quae est in Cermalo, pr. Idus Nouembr. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora quinta cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus eduxerit: ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam inpugnationem sumpserat. Tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit uiros acres, occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissumos: ipsum cupiuit, sed ille se in interiora aedium Sullae.* His in uerbis primum mirum est, quod Baiterus etiam nunc *omnis Catilinas, Acidinos postea reddidit* edidit, postquam Bootius, mea quidem sententia rectissumo iudicio usus, uerba: *omnes Catilinas Acidinos postea reddidit*, ita explicauit, ut diceret hanc his uerbis contineri sententiam: P. Clodium facinore suo, quo omnes superiores uicisset, effecisse, ut omnes, qui antea perditi ac facinerosi fuissent, iam in posterum innocentes esse uideantur, ut si quis Catilinae latrocinio se inquinauerit, iam Acidini illius similis esse uideatur, quem olim Scipio ita accuratius descripserit, ut uirum bonum egregiumque ciuem appellaret, ut testis est Cicero *de oratore* lib. II. c. 64. § 260. Et Acidinos sic pro bonis uiris egregiisque ciuibus usurpatos esse Bootius ipse docuit Ciceronis loco *de leg. agr.* or. II. c. 24. § 64. *tum, quum haberet haec res publica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, uerum etiam patientia paupertatis ornatos, et tum, quum erant Catones, Phili, Laelii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis priuatisque, forensibus domesticisque rebus perspexeratis* etc. idemque etiam hanc ipsam formulam, qua Cicero hic usus est in oratione sua, clariorem fecit, quod commemorauit harum epistolarum lib. V. ep. 20. § 1. *num potui Ciliciam Aetoliam aut Macedoniam reddere?* comparato etiam Orellii *Onomastico Tullian.* uol. VII. p. 376. col. 2. Sed hoc quid sit facile intellegitur, illud magis etiam mirandum est, quod Bootius atque Baiterus non intellexerunt non unam domum Milonis dici, sed duas, praesertim quum Cicero ipse ea orationis perspicuitate rem gestam narrauerit, ut nihil prorsus dubitationis relictum esse uideatur. Nam primum P. Clodius Milonis domum eam, quae erat

in Cermalo, qui erat cliuus prope montem Palatinum, expugnare et incendere conatus esse dicitur, quum ipse P. Sullae domum pro castris sibi ad eam inpugnationem sumpsisset, tum Q. Flaccus, adsecula T. Annii Milonis, ex Anniana Milonis domo, quae erat in cliuo Capitolino quamque T. Milo a T. Annio auo materno, a quo erat adoptatus, hereditate acceperat, eduxisse dicitur uiros acres et occidisse homines ex omni latrocinio Clodiano notissumos. Haec si recte consideramus, nemo *Anniana* uocem, quae uno consensu tradita est antiquitus, delere uolet, id quod cum Bootio uoluit Baiterus, immo illam uocem plane necessariam existumabit esse, ut illa Milonis domus, quae erat in Cermalo, et altera, quae erat in cliuo Capitolino, inter se dignoscantur. Hanc rem quum recte iam Guil. Drumannus in *Historiae Romanae* uol. II. p. 317. adn. 91. exposuerit, permirum est Bootium, qui has epistolas adnotatione illustrare studuerit et re uera multis locis recte enarrauerit, hic tanto opere errauisse.

Huius libri epist. 16. § 8. (14.) leguntur nunc uolgo haec uerba in exemplis formis litterarum descriptis: *Paulus in medio foro basilicam iam paene texuit iisdem antiquis columnis, illam autem, quam locauit, facit magnificentissumam.*, quae uerba uera esse non possunt. Quis enim dixit umquam *texere basilicam aut porticum columnis?* aut num potest omnino quidquam *texi columnis?* Ac si quaerimus, qua auctoritate illa scriptura nitatur, facile intellegitur hoc ipsum *texuit* omni auctoritate carere. Cod. enim Mediceus ab alt. m. habet *texit*, non *texuit*, ceteri autem libri, quorum notitia nobis facta est, cod. Cratandri, Tornaesianus, tum cod. Med. a pr. m. scriptum exhibent *texerit*. Quod quum ita sit, non dubito quin a M. Tullio profectum sit *erexerat* et lenissuma hac mutatione recepta scribo: *Paullus in medio foro basilicam iam paene erexerat iisdem antiquis columnis, illam autem, quam locauit, facit magnificentissumam. erigere* enim saepe dictum esse in aedificiis exstruendis satis notum est, neque est quod dicam de plusquamperfecto, quod tum rectissume ponitur, quum de re perfecta dicitur eo tempore, quo missa epistola est.

Deinde epist. 17 (18). § 1. haec scriptura antiquitus tradita est: *sed, quoniam loca et itinera tua nihil habere certi uideo, neque in Epirum neque Athenas neque in Asiam neque cuiquam nisi ad te ipsum proficiscenti dedi*

litteras., quibus in uerbis apparet tertium *neque*, quod ante uocem *cuiquam* est, superuacaneum esse, itaque uolgo a grammaticis sublatum est. Uidendum tamen est an forte exciderit aliquid et, quoniam itinerum Attici mentio facta est, suspicor olim hic scriptum fuisse: *neque in Epirum neque Athenas neque in Asiam neque quoquam cuiquam nisi ad te ipsum proficiscenti dedi litteras.* Facile enim *quoquam* ante *cuiquam*, praesertim quum id scriptum esset *quoiquam*, excidere potuit.

Postremo in huius libri epist. 18. § 2. (16. § 10.) legimus nunc apud Bootium et Baiterum: *locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, olim concalluit*, quibus in uerbis uiris doctissumis Nonius praeiuit p. 90, 1., ubi utique haec uerba habentur: '*CONCALUIT.* M. Tullius ad Atticum lib. IIII.: *locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, olim concaluit.*' Sed tantum abest ut Nonii auctoritati hoc loco obsequar. ut eam scripturam. quae in Ciceronis libris antiquitus tradita est, longe anteferendam esse existumem. In cod. igitur Mediceo legitur: *locus ille animi stomachus ubi habitabat olim concaluit*, itemque in editionibus Iensoniana, Heruagiana, Cratandrina, nisi quod ibi *hebetabat* pro *habitabat* scriptum est. Haec uerba Orellius olim et ego ipse ita interpungenda putauimus: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit: priuata modo et domestica delectant.* atque ego etiamnunc illam rationem arbitror esse obtinendam. Nam quod Bootius Nonii auctoritatem appellauit, qui ut *concalluit* pro *concaluit*, ita etiam *habitat* pro *habitabat* recte seruasset, errauit primum uir doctus in *concalluit*, quod non est in Nonii libris aliter scriptum atque in Ciceronis, deinceps nihil causae est cur in uoce *habitabat* pluris Nonii librorum quam Ciceronis auctoritatem faciamus, quia Nonius non de hoc ipso uerbo disputauit et facile *habitabat* et *habitat* commutari potuerunt in uerbis illis, quae ad rem minus pertinere uiderentur. Quod autem Bootius, ut scripturam suam firmaret, attulit locum Ciceronis, quem ipsum iam Nonius commemorauit, e lib. *de natura deorum* III. c. 10. § 25. *callidos autem (appello), quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit*, non uideo quid sibi uoluerit. Nam, si Cicero alio loco dixit *animus concalluit*, potuit hic eodem modo dicere: *locus ille animi—concalluit*, qua de re nemo dubitauerat. Sin altero loco, quem apposuit e Ciceronis *epistolarum* lib. IX.

epist. 2. § 3. *et tamen λεληθότως consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo.*, sententiam suam Bootius putat stabiliri, ne isto quidem loco quidquam efficitur. Nam si Cicero dixit *stomacho consuetudo callum obduxit*, eo minume efficitur, dicere non potuisse *illum locum, ubi stomachus habitaret, concalluisse.* Dicitur autem hoc loco subtilius et elegantius: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit*, quam: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, concalluit.* Illud est: Pars illa animi nostri, in qua iracundia antea sedem suam habebat, ita durata est, ut non facile aut omnino non moueatur. Hoc, quod anteposuit Bootius, ita dicitur: Pars illa animi nostri, in qua iracundia sedem suam habet, antea aut superiore iam tempore durata est., quibus in uerbis etiam tacente me apparet *olim* non suo loco positum esse: nam non quaeritur quo tempore durata sit animi pars, sed hoc unum requiritur, ut dicatur esse duratam. Illud autem multo aptius est dici, eum animi locum, ubi antea, id est, *olim*, iracundia sedem habuisset, concalluisse. Itaque ego non dubito quin Cicero scripserit: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit*, potius quam: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, olim concalluit.* Quod autem in antiquis quibusdam editionibus adiungitur, omissum in cod. Mediceo: *ut digerantur multa cruda facilius*, id ego e glossemate natum suspicor olim ita scriptum fuisse: *ut digerantur multo cruda facilius.*

Libro quinto epist. 1. § 3. M. Tullius refert sermonem Quinti fratris cum Pomponia et Arcani mentione facta scribit: *quo ut uenimus, humanissume Quintus: 'Pomponia', inquit 'tu inuita mulieres, ego acciuero pueros.'* quem ad modum nunc haec uerba edita sunt. In cod. Mediceo pro *ego acciuero pueros* legitur a pr. manu: *ego asciuero pueros*, ab alt. manu: *ego uero asciuero pueros.* Editionum ueterum Romana habet *ego asciuero pueros*, ceterae fere *ego acciuero pueros* praeter Iensonianam, in qua legitur *ego uero acciam pueros*, quod Ernestius recepit. Equidem nec *asciuero* nec *acciuero* uerum esse arbitror nec *acciam*, quoniam in ea re haec uerba usitata non sunt, nec uero *pueros* hic dici potuit, ubi opponuntur, ut apparet, mulieres. Quam ob rem Malaspina mihi uerum uidisse uidetur, qui *uiros* reponi uoluit pro *pueros*, nec tamen, quod ille scribendum putauit:

ego uiros arciuero accipio. Nam *pueros* legitur fere constanter extremo loco neque *arciuero* propter uerbi usum uerum esse potest. Quae quum ita sint, credo ego M. Tullium potius scripsisse: *Pomponia, — tu inuita mulieres, ego uero accipiam* (uel *accipio*) *uiros.* Etenim si hoc ita scriptum fuit, ut uidetur scriptum fuisse, si Iensonianae editionis rationem habemus: **g̊ ů $\overset{\text{pi}}{\text{acciam}}$ uiros**, aut etiam **$\overset{\text{pi}}{\text{accio}}$ uiros**, facile illae scripturae oriri potuerunt. *accipio* aut *accipiam* hoc quidem loco illud uerbum est, quod unus quisque, qui simplicitatem huius sermonis considerauerit, requiret. Et uerbum accipiendi hic uerum esse etiam I. Fr. Gronouius sensit, qui scribi uoluit: *ego accepero uiros,* quod propter futurum exactum uerum esse non potest. De uerbo *accipere* Bootius, quamquam ipse edidit: *ego uiros acciuero,* attulit Plauti *Cist.* I. 1, 12. *Most.* I. 4, 6.

Huius libri epist. 2. § 2. editum nunc est: *hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quod audiri non laborarit.* et sic Bootius necessario scribendum esse existumat propter nescio quod arbitrium, quod Ciceroni Vestorium inter et Rufionem agendum fuisset, qua in re mihi uerum uidisse non uidetur. Controuersiam fuisse Vestorio cum Rufione apparet, sed a Cicerone audiendum fuisse Rufionem de ea re numquam scriptum est, et, quum locum per se consideramus, facile intellegitur eam scripturam, quae est in cod. Cratandrino *laudari* pro *audiri*, unice ueram esse. Nam quid sibi uelint uerba *in eo ipso laudandum,* si non sequeretur *laudari* non uideo. Tum enim satis erat dicere *in eo laudandum,* non *in eo ipso laudandum.* Itaque edendum iam curaui: *hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quod laudari non laborarit?*

Epist. 7. in loco, qui admodum corruptus in libris manuscriptis et ex parte etiam in editionibus uetustioribus legitur in hunc fere modum: *sed tamen ut mandatum scias me curasse quod ante ad (antea id* Cod. Cratandri) *se Pompeius qui nos praefectos delaturum nouos uacationes iudiciariam causam,* recte priora uerba emendata maxume secundum cod. Cratandrinum ita sunt: *sed tamen ut mandatum scias me curasse, quot ante ait se Pompeius quinos praefectos delaturum,* et de ea re credo dubitaturum esse neminem: quod uero cetera uerba signo quidem corruptelae apposito intacta relique-

runt, id non probo. Eorum enim uerborum et facilis admodum et satis certa emendatio uidetur esse haec: *non uero uacationes iudiciariarum causarum,* quae uerba si *nō ů* pro *non uero* scriptum erat, ut haec fere scribi solita sunt, tum **iudiciaria✗ causa✗** pro *iudiciariarum causarum,* facile ita mutari poterant, ut sunt mutata in libris, ut de scriptura ipsa mihi plane non uideatur dubitari posse. Sed res etiam satis plana atque aperta est. Etenim uacationes scimus a multis fuisse expetitas quo minus iudiciis operam darent, ut ab auguribus, qua de re conferendus est Cicero in *Bruto* c. 31. § 117., ad quem locum iure Fr. Ellendtus attulit *ad Atticum* lib. XII. epist. 18. § 3., a philosophis, qua de re conferri potest Plinii *epistola ad Traianum* 58 (66). § 1. *Quum citarem iudices, domine, conuentum incohaturus, Flauius Archippus uacationem petere coepit ut philosophus.* Ad oratoris operam a iudiciaria translata re dicitur apud Ciceronem *de legibus* lib. I. c. 4. § 11. *quod sustinere quum uel summa senectus posse uideatur, nullam tibi a causis uacationem uideo dari.* et alio modo rursus dicitur a Seneca *in lud. de morte Claudii* c. 11. § 5. *placet mihi in eum seuere animaduerti nec illi rerum iudicandarum uacationem dari* etc.

Epist. 10. § 3. legimus nunc fere in exemplis litterarum formis descriptis: *Dices: 'Quid adhuc? Nondum enim in negotio uersaris.' Scio, et puto molestiora restare.* ac nemo, credo, de hac scriptura dubitaret nisi in libris manuscriptis itemque in libris litterarum formis superiore tempore expressis legeretur non *scio,* sed *nescio.* Quod quamquam uerum non est, ducit tamen ad ueram scripturam hanc: *Non nescio et puto molestiora restare. Non ignoro* et alia id genus multa saepe Cicero scripsit, *non nescio* eodem modo Quintilianus *inst. or.* lib. II. c. 17. § 21. Saepissume autem *non* negatio conpendio scripta in his ipsis epistolis e Ciceronis oratione excidit, ueluti paullo post *non* ante *perscribo* deest in cod. Mediceo. conf. lib. IIII. ep. 17. § 7. lib. V. ep. 20. § 5., quo quidem in loco *non* ante *multis sauciis* de coniectura mea addidi. In eadem § legimus: *ita multa uel iracunde uel insolenter uel in omni genere stultitiae insulse, adroganter et dicuntur et tacentur cotidie.* Sed nemo docuit nec poterit, ut opinor, docere quid sibi uelint hoc loco uerba: *in omni genere stultitiae,* ut taceam de asyndeto, quod est in uerbis *insulse, adroganter.* Equidem non dubito quin uerum illud sit,

quod legitur in cod. Cratandrino *stulte* pro *stultitiae,* quam scripturae discrepantiam ipsam Baiterus ne adnotauit quidem, ut scribatur: *ita multa uel iracunde uel insolenter uel in omni genere stulte, insulse, adroganter et dicuntur et tacentur cotidie.* Est illud σχῆμα orationis, quo primum per polysyndeton aliquid proponitur generatim, deinceps singillatim per asyndeton profertur, quo de schemate dixit Donatus ad Terentii *Phorm.* act. II. sc. I. u. 13. uol. II. p. 411, 22. ed. Klotz.

Denique huius libri epist. 21. § 13. legimus nunc fere in libris litterarum formis expressis: *L. Lucceius M. f. queritur apud me per litteras summum esse periculum, ne culpa senatus his decretis res ad tabulas nouas perueniat: commemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, quum dieculam duxerit, numquam rei publicae plus.* Sed praeterquam quod haec scriptura, si sententiam consideraueris, non satis facit, quoniam, si dies solutionis profertur, id uix per uerbum ducendi reddi potest, quo non certa diei prolatio significatur, sed tantum mora qua acta diecula esse uideatur declaratur, etiam antiquitus haec scriptura tradita non est. Legitur enim *dixerit,* non *duxerit*, in libris. Quae quum ita sint, uix uidetur dubium esse quin Cicero scripserit: *commemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, quum dieculam prodixerit: numquam rei publicae plus.* Et *prodixerit,* si conpendio satis noto scriptum erat **ꝓdixerit**, facile in *dixerit* commutari potuit. Est autem hoc uerbum in hac re fere usitatum, conferas uelim Ciceronis orat. *de domo sua* c. 17. § 45. *nam quum tam moderata iudicia populi sint a maioribus constituta — ne nisi prodicta die quis accusetur, ut ter ante magistratus accuset intermissa die, quam multam irroget aut iudicet, quarta sit accusatio trinum nundinum prodicta die, quo die iudicium sit futurum* etc. Liuii lib. II. c. 61. § 7. *adeoque constantia sua et tribunos obstupefecit et plebem, ut diem ipsi sua uoluntate prodicerent, trahi deinde rem sinerent. Haud ita multum interim temporis fuit, ante tamen quam prodicta dies ueniret, morbo moritur.* et lib. III. c. 57. § 6. *tribunus ei diem prodixit.* atque alia eius modi multa.

Lib. VI. epist. 2. § 7. legimus nunc: *sed et tum praesens et postea creberrumis litteris non destiti rogare et petere mea causa, suadere et hortari sua* etc. Sed quum in libris manu scriptis *litteris* non habeatur, potest etiam plus hoc loco excidisse et quum recordamur dictionem Ciceroni admodum usi-

tatam, de qua dixi in prooemio libris *epistolarum ad fam.* praeposito ed. alt. suspicari possumus olim fortasse hic lectum esse: *et postea creberrumis litteris et nuntiis non destiti rogare et petere* etc.

Eiusdem libri epist. 9. § 1. est scriptum in libris: *In Piraeea quum exissem pridie Idus Octobr., accepi ab Acasto seruo meo statim tuas litteras, quas quidem quum expectassem iam diu, admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam, breuitatem eius, ut aperui, rursus* **σύγχυσιν** *litterularum, quae solent tuae conpositissumae et clarissumae esse* etc., quibus in uerbis extremis quum non satis constaret ratio constructionis, plerique critici auctore Lambino pronomen *tuae* suppositicium esse existumauerunt. Ego contra existumo et puto pro *quae* scribendum esse *quia*, quae uoces saepe inter se commutatae sunt, qua recepta scriptura omnia recte procedunt: *quia solent tuae (litterae) conpositissumae et clarissumae esse.*

Libri VII. epist. 8. § 5. haec dicuntur de Cn. Pompeio: *Quid multa? non modo non expetere pacem istam, sed etiam timere uisus est,* quibus in uerbis *pacem istam* Cicero ita dicit, ut Cn. Pompeius in prouinciam Hispaniam abeat, C. Caesar consul fiat. Iam sequuntur haec uerba in cod. Mediceo: *ex illa autem sententia ı relinquende urbis* etc. Quae uerba quum idoneam sententiam non haberent, nunc fere de Ernestii coniectura scriptum est: *Illa autem sententia non relinquendae urbis mouet hominem, ut puto.*, quae scriptura neque cum ea lectione, quae antiquitus tradita est, consentit neque rectam sententiam efficit. Quod quum ita sit, credo ego leniore uerborum mutatione scribendum esse: *Ex illa autem sententia causa relinquendae urbis mouet hominem, ut puto.* Sic haec nascitur sententia: ‘Cn. Pompeius mauult, ut mihi uisus est, pugnare quam depecisci cum C. Caesare, ut ille consul fiat, ipse in Hispaniam abeat. Ex illa autem sententia, ut pax sit cum Caesare, eo mouetur, quod non uult urbem relinquere.’ At de forma orationis, quam ego e cod. Mediceo restitui, conferas uelim Ciceronis lib. *de natura deorum* III. cap. 2. § 5. *nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti aut indocti mouebit.* Quod autem *causa* restitui pro ea nota, quae est in cod. Mediceo **ī**, nemo, opinor, mirabitur, quoniam uox *causa* per notam

scribi solita est aut c̄, uide H. Keilii *Grammat. Latin.* uol. IIII. p. 278. col. 1. u. 10. p. 289. col. 1. u. 32. col. 2. u. 29. p. 305. col. 2. u. 16. p. 317. col. 2. u. 3 et 4. p. 336. col. 2. u. 19., aut c̄a, uide H. Keilii *Gramm. Lat.* l. c. p. 289. col. 1. u. 29. p. 305. col. 2. u. 15 et 16. Simile autem conpendium olim hic in codice archetypo fuisse declarant antiqua exempla Romana et Cratandrina, in quibus eo loco scriptum est *ira.*

Eiusdem libri epist. 10. legitur nunc fere: *Gnaeus noster quid consilii ceperit capiatue nescio, adhuc in oppidis coartatus et stupens. Omnes, si in Italia consistat, erimus una; sin cedet, consilii res est.* Sed haec ipsa uerba, quae bonam sententiam non habent, eduntur etiam sine certa auctoritate. Nam in cod. Mediceo est: *coartatus. Set* (superscr. *et*) *stupens.* eaque scriptura est etiam in editionibus antiquis, tum autem habent exempla Iensoniana, Ascensiana, Cratandrina *stupent,* non *stupens*, scriptum. Quid multa? apparet olim haec uerba sic scripta fuisse: *Gnaeus noster quid consilii ceperit capiatue nescio: adhuc in oppidis coartatus est. Stupent omnes. Si in Italia consistat, erimus una: sin cedet, consilii res est.* uerba: *adhuc in oppidis coartatus est,* spectant ad eam rationem, qua usque adhuc Pompeius copias suas nondum explicauit, sed in oppidis collocatas habuit, id quod Bootii causa commemoro, qui id parum intellexit. Et *coartatio militum* in eius modi re proprie dicitur, ut apparet ex incerti auctoris *bell. Alex.* cap. 74. § 4.

Eiusdem libri epist. 15. § 2. legimus nunc in exemplis fere ita scriptum: *Uni Fauonio leges ab illo nobis inponi non placebat, sed is haud auditus in consilio.* Id uerum esse non potest, quod neque in libris ea scriptura est et a Ciceronis consuetudine dicendi uehementer abhorret, qua de re conferendus est Rud. Stuerenburgius ad Ciceronis *de officiis* libros p. 145. ed. alt. Quam ob rem ego scribendum existumaui: *sed is auditus in consilio non est,* qua recepta scriptura omnia procedunt rectissume, saepe autem *non* negationem omissam esse aliquotiens in his ipsis libris agnouimus.

Deinceps epist. 20. § 1. legitur nunc ex auctoritate cod. Medicei: *Breuiloquentem iam me tempus ipsum facit; pacem enim desperaui, bellum nostri nullum administrant. caue enim putes quicquam esse minoris his consulibus,*

quorum ego spe audiendi aliquid et cognoscendi nostri apparatus maxumo imbri Capuam ueni pridie Nonas, ut eram iussus. Illi autem nondum uenerant, sed erant uenturi, inanes, inparati. Sed quum in extremis his uerbis in cod. Cratandrino legatur: *adhuc, id est Nonis, nondum uenerant* minume dubito quin hac recepta scriptura legendum sit: *illi autem adhuc, id est Nonis, nondum uenerant* etc. Nam quam facile haec et quae sunt eius modi e libris excidere potuerint etiam tacente me ultro intellegitur. De forma orationis autem ipsa conferas uelim supra lib. III. epist. 23. § 1. *lege enim ab octo tribunis pl. promulgata scribis te eas litteras eo ipso die dedisse, id est, a. d. IIII. kal. Nouembres.* et infra lib. X. epist 10. § 3. *erat autem V. Nonas uenturus uesperi, id est, hodie.*

Libri VIII. epist. 3. § 4. locus habetur difficillumus, a multis tractatus, sed nondum, ut mihi uidetur, persanatus. Conqueritur Cicero de condicione rei publicae, quam fuga Cn. Pompeius deserere uideatur. Itaque dicit: *denique nulla causa, nullae uires, nulla sedes, quo concurrant qui rem publicam defensam uelint: Apulia delecta est, inanissuma pars Italiae et ab inpetu huius belli remotissuma: fuga et marituma opportunitas uisa quaeri desperatione.* Tum sequuntur uerba, quae in cod. Mediceo a pr. manu leguntur ita: *in te cepit*, ab alt. manu: *inuite cepi.* Haec corrupta esse apparet. Credo tamen non esse difficilem horum uerborum emendationem, si litteras, quae sunt in libris, aliter digerantur. Et legitur a prima manu in cod. Mediceo *desperationem in te*, ab alt. manu *desperatione inuite*, ut facile intellegatur conpendium corruptelae causam dedisse. Quam ob rem credo ego primum scriptum a Cicerone esse: *fuga et marituma opportunitas uisa quaeri desperatione uictoriae.* Quod autem postea sequitur: *cepit* aut *cepi Capuam,* uerum esse non potest, quoniam contraria sententia requiritur, quam restitui ita uoluit Fr. Hofmannus, ut *Non recepi*, H. A. Kochius, ut *nolui accipere* scriberet. Mihi uidetur pro *cepi* restituendum esse *reieci Capuam.* conf. infra epist. 11. D. § 5. *Quod quum ita sit, maxume uellem primum semper tecum fuissem, quod quidem tibi ostenderam, quum a me Capuam reiiciebam.* et epist. 12. § 2. *nam certe neque tum peccaui, quum inparatam Capuam, non solum ignauiae delictum, sed etiam perfidiae suspitionem fugiens, accipere nolui.* Recepta autem illa scriptura et interpunctione

Fr. Büchelero auctore, qui in Mus. Rhen. ser. nou. uol. XIII. p. 591. de hoc loco disputauit, mutata totus locus iam ita scribendus uidetur: *Apulia delecta est inanissuma pars Italiae et ab inpetu huius belli remotissuma, fuga et marituma opportunitas uisa quaeri desperatione uictoriae. Reieci Capuam, non quo munus illud defugerem, sed in ea causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet, et, ut ipse sensissem, multitudo et infumus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi, dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia: itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio uidi nihil quaeri praeter fugam* etc.

Eiusdem libri epist. 5. § 1. editum nunc fere est: *Conieceram in fasciculum una cum tua uehementem ad illum epistolam. Hanc ad me referri uolo, nec ullam ob aliam causam Pollicem, seruum a pedibus meum, Romam misi.* Est hic unicus locus, in quo dicatur a Cicerone *seruus a pedibus*, et abhorrere hanc orationem a Ciceronis sermone usitato iam sensisse uidetur Ursinus, qui haec uerba abiicienda potius quam emendanda censuit. Iam hoc nos commonefacere debebat, ne temere Victorium in constituenda huius loci scriptura sequeremur, etiam si scripturam antiquitus constanter traditam defendendam non censeremus, quae est eius modi: *nec ullam ob aliam causam Pollicem a pedibus meis Romam misi.*, eaque habet sententiam ad hunc locum aptissumam et minume mutanda fuit. Si esset Pollex homo pari condicione, diceret scilicet Cicero: *a latere meo Romam misi*, ut dicitur in libro *de amicitia* cap. 1. § 1. *ego autem a patre ita eram deductus ad Scaeuolam sumpta uirili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem.* Neque enim cuius operae seruus sibi ille fuerit, hic Cicero uult dicere, sed se misisse subito a latere suo et ab eo loco, ubi commodum erat, id est, a pedibus suis, Pollicem, ut illam uehementer scriptam epistolam ab Attico referret. Hoc facile esset ad intellegendum, etiam si plane similem huius locum non haberemus, habemus autem apud ipsum Ciceronem in oratione *pro rege Deiotaro* cap. 1. § 2. haec uerba: *Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et inpium, qui nepos auum in capitis discrimen adduxerit — aui seruum corruptum praemiis ad accusandum dominum inpulerit, a legatorum pedibus abduxerit.* Neque enim *a legatorum pedibus*, si orationis colorem detrahas, aliud est nisi *a legatis*, neque abhorret illud, quod di-

citur alio quodam modo, sed similiter tamen in Ciceronis oratione *Cluentiana* cap. 13. § 38. *in eum inuadunt et hominem ante pedes Q. Manlii, qui tum erat triumuir, constituunt.*

Eiusdem libri epist. 14. § 1. legitur nunc fere hoc: *eo modo autem ambulat Caesar et iis diariis militum celeritatem incitat, ut timeam ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit.* Uerum tamen recte hoc mihi Bootius demonstrauisse uidetur, *et iis diariis*, quum hoc nomine cibi in dies demensi significentur, non satis recte se habere, sed quod ipse de Peerlcampii sententia *dictis* uel *dicteriis* reponi uoluit, ut aperte dicam quod sentio, etiam minus placet. In cod. Mediceo a pr. manu est *ecusdiaris*, ab alt. m. *et iis diariis.* Editiones ueteres habent *et his triariis.* Equidem credo hoc quoque loco olim conpendium fuisse et hoc reponendum esse de coniectura mea censeo: *et iis congiariis militum celeritatem incitat. congiariis* si scriptum fuit: **ɔgıarııs**, ut fere scribi solitum est, facile in *diariis* aut *triariis* corrumpi potuit. *congiarium* autem in donis militaribus dicitur etiam infra lib. XVI. epist. 8. § 2. *eae congiarium ab Antonio accipere noluerunt*, et apud Q. Curtium *de reb. gestis Alex. Magni* lib. VI. cap. 2. § 10. *duodecim milia in congiarium militum absumpta sunt.* et haud scio an etiam in Caesaris lib. *de bello ciuili* III. cap. 53. § 6., quem locum Bootius excitauit, scribendum sit: *cohortemque postea duplici stipendio, frumento, ueste, congiariis, militaribus donis amplissume donauit.* Nam quae sunt eo loco in libris antiquae scripturae uestigia: **uespetıarııs**, **uespetıarııs**, eo ducunt, ut olim ibi quoque **ueste cgıarııs** scriptum fuisse existumemus.

Denique huius libri epist. 16. § 2. haec uerba leguntur in cod. Mediceo: *etsi qua spe proficiscar uideo coniungoque me cum homine magis ad uastandam Italiam quam ad uincendum parato, domum quem exspecto.* neque aliter editiones ueteres locum scriptum habent. Cratander edidit *domitum quem exspecto* et in margine adnotat in codicibus antiquis *donū* aut *domū* legi. Alii aliter huic loco subueniendum esse censuerunt. Ego non dubito quin Cicero scripserit: *etsi qua spe proficiscar uideo coniungoque me cum homine magis ad uastandam Italiam quam ad uincendum parato, dominumque exspecto.* Id quo spectet uix est quod doceam. Nam quid de Cn. Pompeii uoluntate itemque de C. Caesaris censuerit Cicero apparet in

Fr. Büchelero auctore, qui in Mus. Rhen. ser. nou. uol. XIII. p. 591. de hoc loco disputauit, mutata totus locus iam ita scribendus uidetur: *Apulia delecta est inanissuma pars Italiae et ab inpetu huius belli remotissuma, fuga et marituma opportunitas uisa quaeri desperatione uictoriae. Reieci Capuam, non quo munus illud defugerem, sed in ea causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet, et, ut ipse sensissem, multitudo et infumus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi, dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia: itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio uidi nihil quaeri praeter fugam* etc.

Eiusdem libri epist. 5. § 1. editum nunc fere est: *Conieceram in fasciculum una cum tua uehementem ad illum epistolam. Hanc ad me referri uolo, nec ullam ob aliam causam Pollicem, seruum a pedibus meum, Romam misi.* Est hic unicus locus, in quo dicatur a Cicerone *seruus a pedibus*, et abhorrere hanc orationem a Ciceronis sermone usitato iam sensisse uidetur Ursinus, qui haec uerba abiicienda potius quam emendanda censuit. Iam hoc nos commonefacere debebat, ne temere Victorium in constituenda huius loci scriptura sequeremur, etiam si scripturam antiquitus constanter traditam defendendam non censeremus, quae est eius modi: *nec ullam ob aliam causam Pollicem a pedibus meis Romam misi.*, eaque habet sententiam ad hunc locum aptissumam et minume mutanda fuit. Si esset Pollex homo pari condicione, diceret scilicet Cicero: *a latere meo Romam misi*, ut dicitur in libro *de amicitia* cap. 1. § 1. *ego autem a patre ita eram deductus ad Scaeuolam sumpta uirili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem.* Neque enim cuius operae seruus sibi ille fuerit, hic Cicero uult dicere, sed se misisse subito a latere suo et ab eo loco, ubi commodum erat, id est, a pedibus suis, Pollicem, ut illam uehementer scriptam epistolam ab Attico referret. Hoc facile esset ad intellegendum, etiam si plane similem huius locum non haberemus, habemus autem apud ipsum Ciceronem in oratione *pro rege Deiotaro* cap. 1. § 2. haec uerba: *Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et inpium, qui nepos auum in capitis discrimen adduxerit — qui seruum corruptum praemiis ad accusandum dominum inpulerit, a legatorum pedibus abduxerit.* Neque enim *a legatorum pedibus*, si orationis colorem detrahas, aliud est nisi *a legatis*, neque abhorret illud, quod di-

citur alio quodam modo, sed similiter tamen in Ciceronis oratione *Cluentiana* cap. 13. § 38. *in eum inuadunt et hominem ante pedes Q. Manlii, qui tum erat triumuir, constituunt.*

Eiusdem libri epist. 14. § 1. legitur nunc fere hoc: *eo modo autem ambulat Caesar et iis diariis militum celeritatem incitat, ut timeam ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit.* Uerum tamen recte hoc mihi Bootius demonstrauisse uidetur, *et iis diariis*, quum hoc nomine cibi in dies demensi significentur, non satis recte se habere, sed quod ipse de Peerlcampii sententia *dictis* uel *dicteriis* reponi uoluit, ut aperte dicam quod sentio, etiam minus placet. In cod. Mediceo a pr. manu est *ecusdiaris*, ab alt. m. *et iis diariis.* Editiones ueteres habent *et his triariis.* Equidem credo hoc quoque loco olim conpendium fuisse et hoc reponendum esse de coniectura mea censeo: *et iis congiariis militum celeritatem incitat. congiariis* si scriptum fuit: **ɔgıarıs**, ut fere scribi solitum est, facile in *diariis* aut *triariis* corrumpi potuit. *congiarium* autem in donis militaribus dicitur etiam infra lib. XVI. epist. 8. § 2. *eae congiarium ab Antonio accipere noluerunt*, et apud Q. Curtium *de reb. gestis Alex. Magni* lib. VI. cap. 2. § 10. *duodecim milia in congiarium militum absumpta sunt.* et haud scio an etiam in Caesaris lib. *de bello ciuili* III. cap. 53. § 6., quem locum Bootius excitauit, scribendum sit: *cohortemque postea duplici stipendio, frumento, ueste, congiariis, militaribus donis amplissume donauit.* Nam quae sunt eo loco in libris antiquae scripturae uestigia: **uespetıarıs**, **uespetıarıs**, eo ducunt, ut olim ibi quoque **ueste cgıarıs** scriptum fuisse existumemus.

Denique huius libri epist. 16. § 2. haec uerba leguntur in cod. Mediceo: *etsi qua spe proficiscar uideo coniungoque me cum homine magis ad uastandum Italiam quam ad uincendum parato, domum quem exspecto.* neque aliter editiones ueteres locum scriptum habent. Cratander edidit *domitum quem exspecto* et in margine adnotat in codicibus antiquis *donū* aut *domū* legi. Alii aliter huic loco subueniendum esse censuerunt. Ego non dubito quin Cicero scripserit: *etsi qua spe proficiscar uideo coniungoque me cum homine magis ad uastandam Italiam quam ad uincendum parato, dominumque exspecto.* Id quo spectet uix est quod doceam. Nam quid de Cn. Pompeii uoluntate itemque de C. Caesaris censuerit Cicero apparet in

illa epistola, quae est huius libri undecima § 2. *Hoc Gnaeus noster quum antea numquam, tum in hac causa minume cogitauit: dominatio quaesita ab utroque est, non id actum, beata et honesta ciuitas ut esset. Nec uero ille urbem reliquit, quod eam tueri non posset, nec Italiam, quod ea pelleretur, sed hoc a primo cogitauit, omnes terras, omnia maria mouere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maxumos. Genus illud Sullani regni iam pridem appetitur, multis, qui una sunt, cupientibus. An censes nihil inter eos conuenire, nullam pactionem fieri potuisse? Hodie potest, sed neutri* **σκοπὸς** *est ille, ut nos beati simus: uterque regnare uult.*

Sed missis his rebus grammaticis iam uenio ad eam rem, quae mihi scribendi causam fecit. Pronuntiandum est enim quo euentu Commilitones hoc anno de praemiis eruditionis concertauerint.

Ac Theologorum quidem Ordo haec ad nos rettulit: 'Ordini Theologorum, qui quaestionem: *Quaenam sit Sapientiae in libris Iobi et Prouerbiorum praedicatae natura exponatur,* una tradita est dissertatio, cui inscriptum erat: '***Πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου.***' Auctor in hac quaestione expedienda non, ut debebat, historice uersatus est, ut ostenderet, quanti momenti fuissent temporibus Uet. Test. ea, quae libri Iobi et Prouerbiorum de Sapientia perhibent ad dei cognitionem promouendam. sed satis habuit conprobare id, quod hodie uix quisquam negat, Sapientiam in utroque libro neque Philonea neque Iohannea ratione tamquam personam cogitatam esse; at tamen rem suam tam scite et sobrie egit et sermonis Latini tam peritum se praestitit, ut dissertatio eius honorifica mentione digna uideatur. Tessera rescissa nomen prodiit:

ARNO BLIEDNER
theologiae studiosus.'

Ordini Iure consultorum de quaestione. quae superiore anno proposita erat, scripti nihil traditum est.

Nec quaestio, quam Ordo Medicorum proscripserat, inuenit qui eam solueret, itaque ea quaestio iam sublata est.

Ordini Philosophorum duo traditi libelli sunt scripti de quaestione illa, quae erat ab altera huius ordinis classe proposita: *Psychologische Entwickelung der Lehre vom Willen, in kritischer Berücksichtigung der vornehmsten neueren Ansichten und in Darlegung der wesentlichen Beziehungen zu den ethischen Wissenschaften.* Horum libellorum auctoribus, quamquam diligentia in scriptis posita laudanda erat, tamen praemium propterea tribui non potuit, quod uitiosa multa in eorum libellis inerant. Horum Commilitonum liberum erit arbitrium uelintne nomina sua apud decanum Ordinis Philosophorum profiteri. Quod si fecerint, uoluntas est Ordinis, quoad eius fieri poterit, id efficere, ut eorum diligentiae aliquod emolumentum nascatur. De quaestionibus a ceteris huius Ordinis classibus propositis certatum non est.

Iam argumenta in annum, qui instat, ad certandum proposita indicanda sunt.

Ordo Theologorum quaestionem proponit:

De ratione, quae intercedit inter epistolam Barnabae et epistolam ad Hebraeos.

Ordo Iure consultorum:

Poenae ecclesiasticae iuris canonici earumque natura exponantur.

Ordo Medicorum:

Beschreibung der Wirkungen des Chloralhydrats auf den thierischen Organismus.

Ordinis Philosophorum classis prima:

Die Verschiedenheit der Zustände in den germanisirten Slawenländern und in den deutschen Ländern soll geschichtlich ausgeführt und ihr Einfluss auf die spätere Entwickelung Deutschlands dargelegt werden.

Eiusdem Ordinis classis altera:

Prüfung von Schopenhauer's Kritik des Kant'schen Fundaments der Ethik und Beurtheilung seines Moralprincips (vgl. Schopenhauer: Die beiden Grundprobleme der Ethik).

Eiusdem Ordinis classis tertia:

Eine eingehende Vergleichung der Bevölkerungstheorie des Sir James Steuart in dessen Inquiry into the principles of political oeconomy (1767) mit denjenigen von Malthus.

His propositis argumentis, Commilitones humanissumi atque ornatis-

sumi, iam habetis in quo ingenia uestra exerceatis studiorumque diligentiam atque adsiduitatem nobis probare possitis. Eos autem, quibus sententia est hoc certamen inire, rogatos esse cupimus, ut scripta, quae perfecerint, adiuncta scidula obsignata, quae nomen auctoris contineat dictoque eodem quo scriptum, notata sit, ante Kalendas Augustas proxumi anni cuiusque Ordinis Decanis tradenda curent.

P. P. Lipsiae die mens. Nouembris primo a. MDCCCLXUIIII.